

# NUNTIA



PONTIFICA COMMISSIO  
CODICI IURIS CANONICI ORIENTALIS  
RECOGNOSCENDO

## NUNTIA

*Directio:* PONTIFICA COMMISSIONE CODICI IURIS  
CANONICI ORIENTALIS RECOGNOSCENDO  
VIA DELLA CONCILIAZIONE, 34 - 00193 ROMA

*Administratio:* LIBRERIA EDITRICE VATICANA - CITTA' DEL VATICANO

1980

## INDEX

	PAG.
Schema canonum de Monachis ceterisque Religiosis necnon de sodalibus aliorum Institutorum vitae consecratae . . . . .	3-53
The Schema <i>De magisterio ecclesiastico</i> - Part II (George Nedun- gatt S.J. - Relator) . . . . .	55-75
Breve relazione sui lavori della Commissione dal 7 dicembre 1979 al 15 dicembre 1980 . . . . .	76-82
Relatio de statu laborum Commissionis Synodo Episcoporum anni 1980 proposita . . . . .	83-89
Nostre Informazioni . . . . .	89
Errata corrigere . . . . .	91

---

*Tres naviculae symbolice plures Ecclesias Orientales sui iuris significant quae  
eadem directione — codice communi nempe — per mare vitae animas ad salutem  
ducunt ut πηδάλιον, kormčaja, al-huda.*

# **NUNTIA**

**PONTIFICIA COMMISSIO  
CODICI IURIS CANONICI ORIENTALIS  
RECOGNOSCENDO**

**11**

---

Scuola Tipografica Italo-Orientale «S. Nilo» - 00046 Grottaferrata

**SCHEMA CANONUM DE MONACHIS CETERISQUE RELIGIOSIS  
NECNON DE SODALIBUS ALIORUM INSTITUTORUM  
VITAE CONSECRATAE**

*Animadversio: schema quod, speciali facultate pro hac Commissione obtenta, hic lectori proponitur, die 29 Decembris 1980 ad Organa Consultationis transmissum est, eo consilio ut opportuna vota circa schema Commissioni, non ultra diem 30 Junii 1981, proponant.*

*Praenotanda*

Schema canonum « De Monachis ceterisque Religiosis necnon de sodalibus aliorum Institutorum vitae consecratae » quod hic proponitur, etsi non parum differt a canonibus « De Monachis ceterisque Religiosis » in Litteris Apostolicis « Postquam Apostolicis Litteris » (= PA), Motu proprio datis, contentis, ut plurimum disciplinam hucusque vigentem retinet, utpote traditioni monasticae Orientis, a Sanctis Basilio Magno, Theodoro Studita, Pachomio, Athanasio Athonita aliisque probatae, congruentem atque accommodatam. Haec veneranda traditio a Concilio Vaticano II (Const. dogm. « Lumen Gentium » 43-47; Decr. « Christus Dominus » 33-35; Decr. « Perfectae Caritatis »; Decr. « Orientalium Ecclesiarum » 6; Decr. « Unitatis Redintegratio » 16) mirabiliter confirmatur, promovetur, sustinetur. Igitur ab ea substantialiter recedere Consultoribus Commissionis absonum visum est, etsi nonnulla variis novorum temporum necessitatibus, iuxta ipsius Concilii placita, aptata in schemate proponuntur.

Ad ordinem systematicum schematis quod respicit idem ordo servatur ac in Litteris Apostolicis « Postquam Apostolicis Litteris »: post aliquos canones praeliminares, ab erectione monasteriorum, provinciarum et domorum religiosorum initium fit; deinde de regimine superiorum et synaxarum, de admissione in Religionem, de professione religiosa, de obligationibus religiosorum agitur; postremo de variis formis egressus et dimissionis e Religione. Haec in titulo II et III schematis eodem ordine servantur. In Motu proprio « Postquam Apostolicis Litteris » permixte de Monachis ceterisque Religiosis in quolibet articulo sermo est; quod non tantummodo Codicis perspicuitati obest, sed Monasteria quae in Oriente maxime genuinam traditionem p[re]se ferunt, ceteris Institutis vitae religiosae, optime quidem meritis in Ecclesiis Orientalibus Catholicis, nimis aequi-parare videtur. Quapropter Consultoribus Commissionis visum est singulos canones in iisdem Litteris Apostolicis contentos imprimis in duas species divi-

dere ac deinde in duas separatas partes futuri Codicis colligere, quarum prior (titulus II schematis) de Monasteriis, altera vero (titulus III schematis) de Ordinibus et Congregationibus agit. In titulo IV schematis retinentur canones « De Societatibus ad instar religiosorum, sine votis publicis, viventibus ». Adiungitur in fine brevis titulus V de Institutis saecularibus.

Notandum, ad Instituta saecularia quod attinet, in schemate omnino affirmari ea « veram et completam consiliorum evangelicorum professionem in saeculo ab Ecclesia recognitam secumferre » ut a Concilio Vaticano II declaratum est (Decreto « Perfectae Caritatis » n. 11). Ea tamen, clare distinguuntur non tantum a Monachis ceterisque Religiosis, sed etiam a Societatibus vitae communis ad instar religiosorum, sine votis publicis, viventium. Unde nihil aliud visum est necessarium in Codice omnibus Orientalibus Ecclesiis communi nisi in separato titulo (V) aliquos canones de Institutis saecularibus adiungere ita ut ex una parte haec Instituta sub generali nomine « Institutorum vitae consecratae » comprehendenterentur, ex altera vero, sodales eorum, clerici vel laici, ad omnes effectus iuridicos quod attinet, in suo quiske statu manerent.

*Verborum significatio* in genere ea est quae in canonibus *Motu proprio* « Postquam Apostolicis Litteris » invenitur quaeque cum Orientalium traditione, paucis exceptis, sat bene concordat. Voces « Religio, religiosus, religiosa », quae minus cum tali traditione congruunt, plerumque vitantur, etsi hinc inde retinentur, in locis praesertim in quibus voces magis genericae necessariae sunt (cf. inscriptionem schematis, canonem 1). In genere vero voces magis specificae in schemate preferuntur (Monasterium, Ordo, Congregatio). Non adhibentur in schemate voces femininae (« religiosa », « monialis », « antistita ») ex duplii quidem ratione: ex principio generali iuxta quod « pronunciatio sermonis in sexu masculino ad utrumque sexum porrigitur, nisi ex natura rei vel ex legis textu contextuque aliud constet, et ex proposito Consultorum Commissionis disparitatem tractationis inter Instituta non clericalia virorum et omnia mulierum Instituta, quantum fieri potest, vitandi.

#### *Inscriptio schematis*

In totius schematis inscriptione retinentur verba « De Monachis ceterisque Religiosis » quae titulum 1<sup>ae</sup> partis *Motu proprio* « Postquam Apostolicis Litteris » constituunt. His verbis instituta Monastica, venerandae orientalium traditioni maxime congruentia, peculiari modo ceteris Religiosorum Institutis anteposita sunt, tamen ab iis adaequate non distinguuntur, cum ea ipsa speciem « Religiosorum » constituant. Haec quidem votis Consultorum de

novi schematis ordinatione systematica necnon de notionibus in can. 1 schematis traditis plane consentanea sunt, quapropter hanc inscriptionem schematis mutandam non esse visum est.

Verba « De Monachis ceterisque Religiosis », ut patet, ad partes II et III schematis referuntur, quae de Monasteriis, Ordinibus et Congregationibus tractant. Sodales enim praedictorum Institutorum nomine « religiosorum veniunt » etsi *de facto* in Oriente omnes et singuli sine distinctione ut « monachi » et « moniales » a vulgo nominantur.

Ad verba « De Monachis ceterisque Religiosis » in inscriptione schematis addita sunt verba « necnon de sodalibus aliorum Institutorum vitae consecratae ». Hoc factum est ea mente ut in ipsa schematis inscriptione indicarentur etiam Societates et Instituta saecularia de quibus in titulis IV et V sermo est. Sodales enim Societatum, de quibus in titulo IV, « nomine religiosorum non veniunt » (schema can. 134 § 1) etsi « vivendi rationem status religiosi imitantur » (ib.). Sodales vero Institutorum saecularium, sive clerici sive laici, nec « vivendi rationem status religiosi imitantur » (schema can. 147 n. 3).

Locutio « vitae consecratae » post plurimas disceptationes admissa est, utpote quae iam ad traditionem pertineat. Haec verba tamen nunc in sensu stricte iuridico proponuntur ut nihil aliud, ad Codicem omnibus Orientalibus communem quod spectat, significant nisi vitam consecratam in aliquo ex Institutis in schemate descriptis peragendam.

### Caput I - *De Monachis ceterisque Religiosis in genere*

Sub hoc titulo Consultores Commissionis illas tantummodo normas colligere censuerunt quae ex una parte Monachis, Ordinibus et Congregationibus communes sunt, ex altera vero tales ut nullius ex praedictis Institutis veluti praecipuas notas determinent nec, si in parte generali penerentur, nimiam exaequationem omnium trium Institutorum secumferrent. Perspicuitatem schematis, quae requirit ut in magna Institutorum varietate unumquodque suam propriam iuridicam formam facile inveniat, Consultores Commissionis anteposuerunt omnimodae consequentiae in canonibus eligendis qui titulum I constituere debuissent. Unde efficitur ut plures canones de facto Monachis, Ordinibus et Congregationibus communes, in titulis II et III inveniantur, opportunis tamen in ipsis canonibus notis (« cross-references ») appositis.

Ex canonibus « praeliminaribus », in parte I *Motu proprio* « Postquam Apostolicis Litteris » contentis, canon 6 « de praecedentia » omissus est;

inter consilia enim evangelica etiam illud habetur « recumbe in novissimo loco » (Lc 14, 10) et insuper ea quae in canone praedicto habentur, si opus sit, magis opportune per alia documenta quam per Codicem praescribi possunt. Ceteri « canones praeliminares » iuris vigentis, substantialiter, nova tamen formula, retinentur, sed in diversas partes futuri Codicis transferuntur (PA can. 1 = schema can. 1; PA can. 2 = schema can. 2; PA can. 3 ad clausulas abrogatorias transmittitur; PA can. 4 = schema canones 68-72; PA can. 5 = schema can. 20).

*Articulus I* huius tituli colligit varios canones ex *Motu proprio* « Posquam Apostolicis Litteris » (cann. 23, 24, 165-167, 312-313), qui ad dependentiam Religiosorum ab auctoritate ecclesiastica eorum Institutis externa, referuntur. In textu, qui hic proponitur, cum plura retineantur tamen etiam plura omittuntur et nonnulla nova adduntur, ita ut, iuxta placita Concilii Vaticani II, potestas Hierarcharum loci et Patriarcharum, in Religiosos, exemptos non exceptos, perspicue definiatur.

In can. 3 schematis novus textus (loco can. 23 PA) proponitur in quo peculiaris dependentia, ad normam canonum, omnium Religiosorum a Suprema Ecclesiae Auctoritate affirmatur, excluso tamen adjuncto iuris vigentis iuxta quod omnes Religiosi parendi obligatione Romano Pontifici « tenentur etiam vi voti oboedientiae », quod pluribus Consultoribus, ceteris vero contrariis, videtur in Codice omnibus Orientalibus communi non esse retinendum.

Quod ad canonem 4 attinet, iis de quibus in *Nuntia* 8 (pp. 34, 36) non obstantibus, tandem decisio facta est, ut a iure vigenti (PA can. 312 § 2 nn. 1-3) non recedatur. In Coetu a studiis speciali, diebus 13 et 18 novembris 1980 habito, canon denuo redactus est notiones Religionum *iuris eparchialis*, *iuris patriarchalis* et *iuris pontificii* retinendo. Hi termini in eodem Coetu opportune in alios schematis canones reintroducti sunt.

In can. 5 delimitatur potestas Hierarcharum locorum ac Patriarcharum in iis quae ad statuta et ad regimen Religiosorum spectant. In § 1 n. 1 habetur clausula « salvis iis quae ab auctoritate superiore adprobata sunt » qua prohibentur Hierarchae locorum quidquam immutare in statutis Religiosorum a Patriarcha vel Sede Apostolica adprobatis, itemque (§ 3 eiusdem canonis) prohibentur Patriarchae quidquam immutare in statutis a Sede Apostolica adprobatis.

Quod ad publicum exercitium cultus divini spectat, potestas Hierarcharum locorum in Monachos ceterosque Religiosos, etiam exemptione pontificalia gaudentes, in canone 6 § 1 definitur ipsis verbis a Concilio Vaticano II in Decreto « Christus Dominus » n. 35 adhibitis.

---

Notandum quod canon de quo in *Nuntia* 8 (p. 39, can. 7), utpote in Codice inopportunus, tandem in schema receptus non est.

In *articulo II* huius tituli 12 canones ex variis *Motu proprio* « Postquam Apostolicis Litteris » sectionibus simul congregantur, quippe qui, ut dictum est, omnia Monasteria, Ordines et Congregationes respiciant nec ulli eorum ita sunt proprii ut magis congruenter in titulum II vel III poni debeant.

In can. 9 retinetur § 5 canonis 312 PA sectionis « De Verborum significatione ». In canone perspicue definitur quinam veniant in iure nomine « Superiorum maiorum » itemque perspicue negatur Hierarchas locorum ac Patriarchas esse Superiores Monachorum ceterorumque Religiosorum. Haec in Oriente magni momenti sunt ut salva et integra maneat Monachorum ceterorumque Religiosorum iusta autonomia, ad regimen internum Institutorum servandum, ad vitam religiosam in spiritu Fundatorum peragendam necnon ad charisma unicuique Instituto proprium custodiendum, firmis tantummodo canonibus qui tum Patriarchae tum Hierarchae loci potestatem in ipsos tribuunt.

In canonibus 10-13, qui de relatione quinquennali, visitatione canonica, de Superiorum officiis erga sodales eorumque Consiliis agunt, substantialiter, ius vigens in canonibus 37, 39-45, 48 § 1 PA contentum retinetur, nova tamen breviore et magis perspicua formula, pluribus ad ius particulare Monasteriorum, Ordinum et Congregationum remissis.

In canone 14 statuitur bona temporalia Religiosorum, utpote bona ecclesiastica, regi normis alibi in Codice statutis, in sectione nempe « De bonis Ecclesiae temporalibus », quae normae opportune in ipso canone indicantur.

In canonibus 15-18 ius vigens in PA cann. 136, 135, 158, 47 § 1 retinetur, paragrapho 2 postremi canonis omissio.

Canones 175, 176, 177, 178 PA ad unicum canonem (can. 19), quattuor paragraphis constantem, reducti sunt, sine tamen substantiali mutatione, excepta omissione indicationis « cardinalitiae dignitatis » pro qua, si ad eam Monachus aliasve Religiosus orientalis promovebitur, peculiari Romani Pontificis dispositione provideri poterit.

Can. 5 PA retinendus proponitur in can. 20 schematis. Canon iste maximi est momenti cum determinet quanam lege teneantur provinciae vel domus orientalis ritus Religiosorum latinorum quarum erectio in Orientalibus regionibus a Concilio Vaticano II (Decreto « Orientalium Ecclesiarum » n. 6) enixe commendatur.

---

## Caput II - *De Monasteriis*

De canonibus huius tituli ampliae relationes factae sunt in sequentibus fasciculis *Nuntia*: fasc. 4 pagg. 3-15; fasc. 6 pagg. 42-55; fasc. 8 pagg. 44-49.

Descriptio, quid « monachus » vel « monialis » sit, quae in can. 313 § 3 PA traditur (« *Monachus vel Monialis est religiosus vel religiosa qui vel quae per professionem Religioni adscribitur in qua vita religiosa peragitur secundum antiquas Orientis traditiones* ») derelinqua proponit a Consultoribus Commissionis, cum generatim in sensu nimis restrictivo accipiatur, quasi *monachi* et *moniales* illi vel illae tantummodo sint, qui vel quae vitae pure *contemplativae se dant*. Haec notiones *monachi* vel *monialis* tamen traditioni monasticae orientalium minus consentaneae sunt. Historia teste, Orientalia monasteria in operibus caritatis et christifidelium institutione maxima merita obtinuerunt, etsi laudibus Divinis persolvendis et sodalium evangelicae perfectioni procurandae principaliter, ex ipsa eorum Constitutione et Fundatorum voluntate dedita esse debeant (cfr. can. 67) nec possint officia curae animarum, v.g. paroecialia (cfr. can. 67 - schematis), assumere.

In can. 29 proponit ut potestas Superiorum et Synaxarum in Orientalibus sui iuris monasteriis, cuiusvis speciei, etiamsi quomodocumque exceptis, nonnisi dominativa sit, nisi iure expresse in certis casibus ipsis potestas regiminis exsecutiva concedatur. Haec proponuntur, genuina traditione monastica prae oculis habita, quae non requirit ut in monasteriis omnes Superiorum ex ipsis typicis (ut pro Ordinibus et Congregationibus clericalibus fit « ex Instituto », cfr. can. 86 § 3 schematis) sacerdotio augeantur. Quae cum ita sint, excluditur distinctio inter monasteria « clericalia » vel « non clericalia » et consequenter ex iure Superioribus monasteriorum potestas regiminis exsecutiva seu iurisdictio ecclesiastica concedi nequit (cfr. can. 53 ex Litteris Apostolicis « Cleri sanctitati »: « soli clerci possunt potestatem... iurisdictionis ecclesiasticae... obtainere »). Notandum Consultoribus Commissionis visum esse hanc dominativam potestatem, quae effectus iuridicos in foro externo plane validos parit, omnino sufficientem esse ad rectum regimen servandum in omnibus monasteriis sui iuris.

Can. 29, ut proponit in schemate, ad potestatem Superiorum ac Synaxarum quod attinet, monasteria virorum ac mulierum plene aequiparat. Haec aequiparatio, ut iam dictum est, alios quoque canones schematis attingit (v.g. can. 32 de electione Superiorum, omissis § 3 can. 34 PA; can. 34 de designatione Confessariorum etc.).

Ad unicum canonem (can. 34) reducuntur canones 50-62 PA « de Confessariis et cappellanis » in monasteriis sui iuris. In canone determinatur auctoritas cui ius est confessarios et cappellanos nominandi atque

---

omnium sodalium libertas sustinetur, salva monasterii disciplina, ad quemcumque confessarium accedendi ad sacramentum poenitentiae recipiendum, cetera vero hac in re ad ius particulare, ipso Codicis silentio, remittuntur.

Ex canonibus 71-73 PA « de postulatu » nonnisi § 1 can. 71 PA retinetur (in can. 37) qui exigit ut candidatus ante noviciatum per aliquod temporis spatum a typicis determinatum in monasterio degere debeat sub speciali cura probati monachi.

Requisita ad validitatem admissionis in noviciatum, de quibus in § 1 can. 74 PA, retenta sunt cum aliquibus mutationibus, inter quas notare iuvat, requisitum aetatis 18 annorum. Hac norma proponitur ut abrogetur § 1 n. 1 can. 88 PA qui ad validum noviciatum nonnisi decimum quintum aetatis annum requirit cum pluribus aliis consecitariis, v.g. circa professionem religiosam, quae si temporanea est, ex iure vigenti, expleto 16 aetatis anno emititi potest.

Ex requisitis ad liceitatem admissionis in noviciatum, de quibus in § 2 can. 74 PA, retenti sunt nn. 1, 4 et 5 in schematis canone 40, dum ad n. 6 quod attinet notandum est quod, iis de quibus in *Nuntia* 4 (p. 44) et 8 (p. 45 c. 40) non obstantibus, tandem decisio facta est a iure vigenti non esse recedendum. In Coetu a studiis speciali, diebus 13 et 18 Novembris 1980 habito, canon 39 schematis (simul cum can. 99 in quo ad can. 39 remittitur) denuo, ad normam iuris vigentis, redactus est.

Canones 79-83 PA de « dote in monasteriis monialium » omnes ad ius particulare in typicis statutum remittuntur; siquidem dos admittitur, ea speciali vigilantiae, ad normam can. 42 schematis, Hierarchae loci committitur.

In can. 45 § 2 schematis requiritur ad validatem cuiusque anni noviciatus praesentia in monasterio « saltem novem mensium » dum « absentia tribus mensibus brevior, apta prorogatione completur » (cfr. Decretum « Orientalium Religiosorum » S. Congr. pro Eccl. Orientalibus a die 27 iunii 1972, n. 11, a, b, c).

Ad professionem temporaneam in monasteriis quod spectat, quae in iure vigenti (cfr. PA can. 108) nonnisi exceptio est, canon 45 § 1 schematis ita redigitur ut in monasteriis haec professio facile introduci possit, attentis scientiae psychologicae principiis ex praxi optime probatis. Haec completnatur can. 53 schematis in quo statuitur ut in temporanea professione monastica serventur praescripta canonum 109-112 schematis, qui in Capite III de Ordinibus et Congregationibus inveniuntur, cum haec professio in monastica traditione prorsus ignota sit.

Distinctio inter sollemnem et simplicem professionem religiosam in toto schemate derelicta est et nonnisi de definitiva vel temporanea profes-

---

sione sermo fit. Quod attinet ad definitivam professionem monasticam, nulla videtur esse substantialis a iure vigenti recessio in canonibus 50-58 schematis, etsi nova, eaque breviore, formula proponuntur.

In articulo (V) de institutione et disciplina in monasteriis servanda novus est canon 59 de institutione monachorum, quae talis esse debet ut omnes ingenii facultates cuiuslibet sodalis rite evolvantur studio sacrae doctrinae et acquisitione humanae culturae, quo aptiores omnes evadant in propriis muneribus obeundis.

Consultores censem in litteris dimissoriis concedendis, de quibus can. 61, potestatem regiminis (iurisdictionem) non exerceri, quapropter eas a Superiori monasterii, etsi dumtaxat potestate dominativa fruatur, concedi posse in canone statuitur.

Leges clausurae, de quibus in canonibus 140-144, 146-147 PA, unico schematis canone, nempe 64, exprimuntur, quo ad typica remittuntur normae quae magis in particulari determinant modum clausurae servandae, paucis tamen in ipso canone exhibitis. In hoc canone componendo Consultores Commissionis plenam aequiparationem monasteriorum monialium cum monasteriis virorum tenendam esse censuerunt, unde v.g. in § 3 canonis prescribitur ut clausurae fines immutari nequeant nisi de consensu Hierarchae cui monasterium immediate subicitur, quod in iure vigenti (can. 14 § 3 n. 2 PA) valet pro monialibus non vero pro monachis. Strictior igitur norma ad omnes extendenda proponitur.

In canone 67 schematis proponitur ut prohibeatur erectio paroeciarum in monasteriis, cuiuscumque condicionis ea sint, necnon assumptio monachorum in officium parochorum, sine licentia Patriarchae vel Sedis Apostolicae. Ratio huius propositionis alia non est nisi necessitas monachos tuendi in propria eorum vocatione fideliter servanda, quae, experientia teste, in maximo periculo est ubi monachi in officia parochorum facile assumuntur vel in ipsis monasteriis paroeciae eriguntur.

Articulus VI de eremitis potius novus dicendus est, etsi in canonibus 4 et 313 § 3 PA de eremitis iam aliquomodo agebatur. Articulus hic, ut spes est, vota eorum explet, qui hanc formam vitae monasticae, tot Sanctis in Orientalibus Ecclesiis refulgentem, in lumine collocandam proposuerunt.

Ex canonibus « de privilegiis » (can. 160-174 PA) servatur praescriptum « de stauropegio » in canone 73 schematis. Canones huius sectionis omissi sunt, non excluso canone de « stipe colligenda » a monachis vel monialibus (PA can. 171). In votis Consultorum Commissionis est ut hac in re redeatur ad genuinas monasticae vitae traditiones iuxta quas non decet monachos et moniales extra claustra eleemosynas colligere. Alio ergo modo eorum sustentationi providendum est.

Canones « de transitu ad aliud monasterium » (can. 74-75) et « de egressu e monasterio » (can. 76-87) magis organice quam in PA cann. 182-196 proponuntur, novis vocabulis vel locutionibus aliquando adhibitis (loco « indultum exclastrationis » ponitur « indultum discedendi a monasterio », « apostata » et « fugitivus » in can. 80 illi sunt qui « monasterium illegitime deserunt » etc.), sed a iure vigenti substantialiter non videntur differre. Normae vero « de dimissione monachorum » (PA can. 197-223) quattuor canonibus absolvuntur (cann. 82-85), quibus omnis species processus stricte iudicialis in ipsis monasteriis, ad dimissionem monachorum quod attinet, excluditur. Praescribitur autem nova forma processus administrativi, qua tamen ius cuiusvis sese defendendi plene in tuto ponitur. Iudicialis processus, si quidem a sodali, cui dimissionis decretum intimatur, petitur, non in monasterio, sed apud tribunal Hierarchae, cui monasterium immediate subicitur, pertractandus proponitur.

### Caput III - *De Ordinibus et Congregationibus*

Structura huius capitinis, ut iam dictum est, fere ex toto eadem est ac quae in capite II invenitur. Hoc congruit votis Consultorum, in duas nempe separatas partes canones *Motu proprio* « Postquam Apostolicis Litteris » dividendi, ita ut figureae iuridicae Ordinum et Congregationum a formis vitae monasticae bene distinguantur et simul modo magis perspicuo in Codice eluceant.

Initio huius capitinis ponuntur (can. 86) definitiones de verborum significazione, quid sit Ordo, quid Congregatio etc. ex canone 314 necnon, ad domus formatas quod attinet, ex canone 312 § 3 PA desumptae.

In canonibus de erectione et suppressione Ordinis, Congregationis, provinciae vel domus (can. 87-9) proponitur consensum Sedis Apostolicae (de quo in can. 13 PA) requirendum non esse in condendis, in territorio Ecclesiae patriarchalis, Ordinibus et Congregationibus iuris patriarchalis, sed sufficere consensum Synodi Episcoporum. Proponitur similiter ut mutetur can. 14 PA qui reservat suppressionem Ordinis, etiamsi « iuris patriarchalis », Sedi Apostolicae. In canone 88 schematis suppressio Ordinis vel Congregationis iuris patriarchalis reservatur Patriarchae de consensu Synodi Episcoporum. Eodem modo reservatur Patriarchae (§ 3) de bonis suppressi Ordinis vel Congregationis iuris patriarchalis statuere: in casu vero Congregationis iuris eparchialis sufficit consensus Synodi permanentis. Haec Consultoribus Commissionis ad rectum ordinem servandum in erectione et suppressione Ordinum vel Congregationum in territoriis Ecclesiarum patriarchalium necessaria et sufficientia ad iura ipsorum tuenda visa sunt.

In can. 93 § 2 schematis proponitur ut Superiores Maiores in Ordinibus et Congregationibus clericalibus et insimul iuris patriarchalis vel pontificii veniant nomine Hierarcharum, ut in PA can. 306 § 1 « de exemptis » statuitur. De potestate dominativa, qua gaudent Superiores in Ordinibus et Congregationibus non clericalibus, sive virorum sive mulierum, eadem valent quae supra de monasteriorum Superioribus dicta sunt, ad omnes effectus iuridicos quod attinet (v. g. non exclusa concessione litterarum dimissorialium; cf. can. 118 schematis).

Notandum Supremum Moderatorem in aliquo Ordine vel Congregatione, qui primus est inter Superiores Maiores, in schemate aliis vocabulis designari, quae de facto ubique in usu sunt, h. e. « Superior Generalis ».

Ad tempus ad quod Superiores constituuntur necnon (can. 95) ad modum electionis vel nominationis eorum quod spectat ius vigens de virorum Ordinibus et Congregationibus substantialiter retinetur atque, sine ulla particulari norma, ad mulierum quoque Ordines et Congregationes extendendum proponitur. Unico canone (97) ea edicuntur quae de confessario in Ordinibus et Congregationibus, in Codice omnium orientalium communi, necessario praescribenda videntur, ceteris omnibus omissis (PA can. 50-62). Canon iste in capite « de Superioribus » ponitur cum frequentem accessum ad poenitentiae sacramentum promovere ipsorum imprimis officium sit. Caput concluditur canone (98) de Oeconomis quibus est bona temporalia Ordinum et Congregationum administrare in quo can. 48 §§ 2-4 PA retinetur. Notandum paragraphum 1 eiusdem canonis de consiliariis Superiorum inter canones generales I capitinis translatum esse (schema can. 13).

Praescripta canonum de admissione in Ordines et Congregationes atque de novitiatu (can 99-107) a iure vigenti (v. canones 70-105 PA; decretum « Orientalium Religiosorum », Facultates 10, 11), salva aequiparatione inter novitiatum virorum et mulierum, substantialiter non recedunt, etsi aliqua minoris momenti ad ius particulare, ipso schematis silentio, remittuntur.

In articulo « de professione in Ordinibus et Congregationibus » (v. canones 108-115) professionis temporaneae, quae semper definitivae praemittenda est (can. 109), effectus iuridici determinantur ad modum in iure vigenti (PA canones 115-116, 119) de professione minori statutum, aliis tamen verbis et dispositione materiae. Locutio « professio minor » nullibi in schemate adhibetur. Verumtamen ea quae in *Motu proprio* « Postquam Apostolicis Litteris » de hac professione dicuntur, omnia substantialiter in schemate de temporanea professione servantur. Professio vero quae in iure vigenti vocatur « minor » sed « in perpetuum emissa » (PA can. 116 § 1), in novo schemate (can. 115 § 2) vocatur « professio definitiva in Congregationibus ». Haec differt a professione « temporanea » tantummodo in eo quod « sodalis

---

sacro vinculo perpetuo Congregationi plene aggregatur » ceteris iuridicis temporaneae professioni propriis omnino haud mutatis. De professione definitiva in Ordinibus vero retinetur ius vigens canonis 315 PA, quo professio « maior » in Ordinibus monasticae professioni aequiparatur. Unde est ut in can. 115 schematis, ad effectus iuridicos huius professionis quod attinet, proponitur ut nihil aliud dicatur nisi hac in re sequendos esse canones 54-57 capituli II de Monasteriis. Spes est ut ex nova dispositione materiae novisque vocibus adhibitis, ius vigens de professione in Ordinibus et Congregationibus, quod in schemate retinetur, menti Orientalium magis perspicuum evadat.

In articulo V de institutione et de disciplina in Ordinibus et Congregationibus servanda (canones 116-126), praeter alia quae supra de institutione monachorum dicta sunt (v. g. de litteris dimissoriis can. 118; de lege clausurae ad statuta remittenda can. 121), notare iuvat canonem 123 de paroeciis in ecclesiis Ordinum vel Congregationum erigendis in quo proponitur ut in iure communi nihil dicatur quaenam sint iura parochi et quaenam iura communitatis religiosae (PA can. 155), sed omnia remittantur ad particularem scriptam conventionem de qua in sectione *de parochis* (cfr. *Nuntia* 9 pag. 65 can. 4: scripta conventio fit intra Hierarcham loci ac Superiorem Maiorem religiosum).

De stipe petenda agit can. 125 schematis. In canone proponitur duplex licentia, nempe Hierarchae cui Ordo vel Congregatio immediate subduntur et Hierarchae loci in quo stips petitur, requirenda, ut stips liceat a religiosis colligatur, ceteris quae a canonibus 171-173 PA praescribuntur omissis.

Canones de transitu ad alium Ordinem vel Congregationem vel Monasterium sui iuris (can. 127) et de egressu ex Ordine vel Congregatione (can. 128-130), plerumque ius vigens servant, nova tamen formula propositi sunt. De dimissione ab Ordine vel Congregatione quaestio tribus canonibus absolvitur, quorum duo (can. 131 et 132) novum modum dimissionis professi votorum temporiorum proponunt, postremus vero canon (can. 133) solummodo auctoritatem determinat cui est decretum dimissionis dare vel confirmare, de cetero statuens canones 82-85 capituli II servandos esse. Confirmatio decreti dimissionis ab auctoritate Ordini vel Congregationi externa, ad hominis iura fondamentalia tuenda, Consultoribus Commissionis omnino necessaria visa est.

#### *Caput IV - De Societatibus vitae communis ad instar religiosorum, sine votis publicis, viventium*

In Societatibus de quibus in hoc capite, sodales « ad instar religiosorum » vitam peragunt, sed nomine religiosorum non veniunt, cum votis

publicis non obstringuntur. Haec forma vitae consecratae peculiaris est, distincta sive a formis de quibus in capitibus II et III, sive ab Institutis saecularibus (cap. V), quae etsi proprio sensu ad vitam consecratam pertinent, nec vivendi quidem rationem religiosorum imitantur.

Ut Societates haec, sive virorum sive mulierum, optime in Ecclesia meritae, propriam indolem, iuxta charisma earundem Fundatorum, magis in die servare possint, nihil aliud visum est necessarium, nisi canones iuris vigentis retinere, paucis mutatis, qui quidem canones compendiouse pro hisce Societatibus plurima praescripta Congregationibus, de quibus in capite III, propria valere praescribunt. Unde fit ut plures mutationes huius iuris quae in capite I et III novi schematis inveniuntur, etiam de hisce Societatibus valeant.

#### *Caput V - De Institutis saecularibus*

Essentialia tantummodo elementa vitam consecratam in Institutis saecularibus veluti in nuce respicientia, Consultores Commissionis, in Codicem omnibus Ecclesiis Orientalibus communi, inserenda esse autumnant. Propositum enim est, in tanta varietate charismatum quae in hodierna Ecclesia ad novas formas vitae per professionem consiliorum evangelicorum consecratae christideles urgent, libertatem omnium tueri, eas normas praescribendo, sine quibus charismata huiusmodi authentice probata in Ecclesia esse nequeunt. Canon 142 schematis, in quo proponitur ut erectio ac suppressio Institutorum saecularium fiat iuxta canones 2, 4, 6, 8, 10 de Christifidelium consociationibus, consequitur ex principio in can. 141 n. 4 expresso iuxta quod sodales horum Institutorum « clerici vel laici, ad omnes effectus iuridicos quod attinet, unusquisque in proprio statu manet ».

Intuitu vero sacri ligaminis quo sodales definitive in Institutum saeculare cooptantur, dimissionis decretum, ad normam statutorum datum, ut in canone 143 proponitur, executioni mandari nequit nisi sit probatum a Hierarcha loci vel a Superiore auctoritate ecclesiastica, quae ipsa Sedes Apostolica, iuxta naturam Institutorum, esse potest.

De praedictis canonibus breve commentarium inveniri potest apud *Nuntia* 5 pagg. 45-47.

---

DE MONACHIS CETERISQUE RELIGIOSIS  
NECNON DE SODALIBUS ALIORUM INSTITUTORUM  
VITAE CONSECRATAE

Caput I

DE MONACHIS CETERISQUE RELIGIOSIS IN GENERE

Can. 1 (PA 1)

Status religiosus, praesertim monasticus, est stabilis vivendi modus ab Ecclesia approbatus, quo christifideles, novo ac peculiari titulo per vota publica oboedientiae, castitatis et paupertatis sub legitimo Superiore ad normam statutorum servanda, Christum, Magistrum et Exemplarem sanctitatis, pressius sequentes, totaliter se devovent caritatis perfectioni assequendae in servitium Regni Dei pro Ecclesiae aedificatione et mundi salute utpote signa coelestem gloriam praenuntiantia.

Can. 2

Vita religiosa, praesertim monastica, quae in Oriente antiquas habet traditiones, etsi locis et temporibus accommodatas, in honore habenda et summopere promovenda est.

ART. I - *De dependentia Monasteriorum,  
Ordinum vel Congregationum ab auctoritate Episcoporum, Patriarcharum,  
Sedis Apostolicae.*

Can. 3 (PA 23)

Monasteria, Ordines et Congregationes quaeviis Supremae Ecclesiae Auctoritati peculiari ratione subduntur, ad normam canonum qui sequuntur.

---

Can. 4 (PA 312 § 2 nn. 1-3)

§ 1. Monasteria sui iuris et Congregationes sunt *iuris eparchialis* si, a Hierarcha loci erecta, ei ad normam iuris subiciuntur.

§ 2. Ordines et Congregationes sunt *iuris patriarchalis* si, a Patriarcha erecta vel eius decreto approbata, eidem ad normam canonum subduntur; ipsa vero simul ac Monasteria sui iuris sunt *iuris pontificii* si approbationis decretum a Sede Apostolica consecuta sint.

Can. 5 (PA 24, 167, 168)

§ 1. In regendis Monasteriis sui iuris et Congregationibus iuris eparchialis, Hierarchae loci, salvo iure communi, competit:

1) typica Monasteriorum et statuta Congregationum approbare, atque immutationes in ea ad normam iuris introductas confirmare, salvis iis quae ab auctoritate superiore adprobata sunt;

2) dispensationes ab iisdem typicis vel statutis praescriptas legitime petitas singulis in casibus et per modum actus dare;

3) visitare Monasteria etiam subsidiaria necnon singulas domos Congregationum in suo territorio quoties visitationem pastoralem ibi peragit, necnon cum rationes vere peculiares, suo iudicio, id requirant;

4) firmo iure communi et servata Monasteriorum atque Congregationum disciplina et de consensu Superiorum maiorum competentium, monachos ac sodales Congregationum proprii territorii in externa apostolatus opera immittere quae cum indole propria et fine specifico Monasteriorum vel Congregationum congruant.

§ 2. Si Congregatio iuris eparchialis ad alias eparchias propagetur, nihil in ipsis statutis valide mutari potest, nisi de consensu singulorum Hierarcharum in quorum eparchiis domus habeat.

§ 3. Ea de quibus in § 1 Patriarchae competunt relate ad Monasteria, Ordines et Congregationes iuris patriarchalis in territorio Ecclesiae cui ipse praeest; Monasteria, Ordines et Congregationes vero quae exemptione pontificalia gaudent, Patriarchae subiciuntur dumtaxat in casibus iure expressis.

§ 4. Extra territoria Ecclesiae Patriarchalis ea de quibus in § 1 sunt de exclusiva competentia Sedis Apostolicae quoad Ordines omnes necnon quoad Monasteria et Congregationes non iuris eparchialis.

Can 6 (PA 165)

§ 1. Sodales Monasteriorum, Ordinum et Congregationum, etiam exemptorum, nisi de stauropegii privilegio agatur, subsunt Hierarchae loci

potestati in iis quae ad publicum exercitium cultus divini spectant, utpote sunt ea quae referuntur ad sacram praedicationem populo tradendam, ad christifidelium, praesertim puerorum, religiosam et moralem educationem, catecheticam institutionem et liturgicam efformationem atque status clericalis decorum, necnon ad varia opera in iis quae sacri apostolatus exercitium respiciunt.

§ 2. Hierarchae loci ius et officium est singula Monasteria, exceptis stauropegiacis, atque domos Ordinum et Congregationum in suo territorio sita visitare quod ad ea de quibus in § 1 attinet tempore visitationis pastoralis et quoties graves causae id suadeant.

§ 3. Sodales qui extra domum illegitime degant exemptionis vel stauropegii privilegio non gaudent; si vero delictum extra domum commiserint, etsi legitime extra domum degant, ab ipso Hierarcha loci puniri possunt, si a proprio Superiore, ab eodem Hierarcha praemonito, non puniantur.

#### Can. 7

Patriarchae necnon Hierarchae loci conventus promoveant cum Superioribus Monasteriorum, Ordinum et Congregationum, statis temporibus et quoties id opportunum videbitur ut pro operibus apostolatus quae a sodalibus exercentur consiliis mutuo inter se collatis procedant.

#### Can. 8 (PA 166)

Si in exemptorum domus eorumve ecclesias abusus irrepserint et Superior, a Hierarcha loci monitus, prospicere neglexerit, idem Hierarcha loci obligatione tenetur rem statim deferendi ad Patriarcham si Monasterium sit stauropegiacum vel domus aut ecclesia sit Ordinis vel Congregationis Patriarchae subiecti in territorio Ecclesiae patriarchalis sita, secus ad Sedem Apostolicam.

### ART. II - *De Superioribus ac sodalibus Monasteriorum, Ordinum vel Congregationum*

#### Can. 9 (PA 312)

§ 1. Superiorum maiorum nomine veniunt: Praeses Consociationis Confoederationum monasticarum, Praeses Confoederationis monasticae, Superior Monasterii sui iuris, Superior generalis Ordinis vel Congregationis,

Superior provincialis, eorundem vicarii aliique ad instar provincialium potestatem habentes.

§ 2. Nomine Superioris monachorum ceterorumque religiosorum non venit nec Hierarcha loci nec Patriarcha, firmis canonibus qui cum Patriarchae tum Hierarchae loci potestatem in ipsos tribuunt.

Can. 10 (PA 39-40)

§ 1. Praeses Confoederationis monasticae, Superiore Monasterii sui iuris non confoederati, Superior generalis, relationem de statu Monasteriorum, Ordinum vel Congregationum quibus praesunt quinto saltem quoque anno ad Hierarcham cui immediate subduntur mittent debent iuxta formulam ab eodem Hierarcha statutam.

§ 2. Quod attinet ad ea de quibus in can. 6 § 1 relatio quinto quoque anno a quibusvis Superioribus Monasteriorum de quibus in canone 22 necnon singularum domorum Ordinum vel Congregationum mittenda est Hierarchae loci, qui, in Ecclesiis patriarchalibus, certiore faciat Patriarcham modo a iure particulari statuto.

§ 3. Relatio fieri debet per documentum subsignatum a Superiore cum suo Consilio.

Can. 11 (PA 41-45)

§ 1. Superiores Maiores quos ad hoc munus typica Monasteriorum vel statuta Ordinum et Congregationum designant, temporibus in iisdem definitis, omnes domos sibi subiectas visitent per se vel per alias si fuerint legitime impediti.

§ 2. Sodales cum visitatore fiducialiter agant, cui legitime interroganti respondere tenentur secundum veritatem in caritate; nemini vero fas est quoque modo sodales ab hac obligatione avertere aut visitationis scopum aliter impedire.

§ 3. Hierarcha loci debet omnes domos Monasteriorum, exceptis stauropiegacis, Ordinum vel Congregationum visitare, si Superior maior, ad quem visitatio iure competit, post quinque annos eas non visitaverit et, monitus ab Hierarcha loci, eas visitare neglexerit.

Can. 12 (PA 37)

Superioribus incumbit grave officium curandi ut sodales sibi commissavitam iuxta typica vel statuta propria componant; Superiores sodales exemplo et hortatione iuvent in consecutione finis status religiosi, eorum necessitatibus personalibus convenienter subveniant, infirmos sedulo curent ac

visitent, corripiant inquietos, consolentur pusillanimes, patientes sint ad omnes.

Can. 13 (PA 48)

Superiores suum proprium et permanens habeant Consilium ad normam typicorum vel statutorum constitutum, cuius opera in munere exercendo utantur oportet; in casibus a iure praescriptis eius consensum aut consilium, ad normam, canonis NN<sup>1</sup> exquirere tenentur.

Can. 14 (PA 63-66)

§ 1. Monasterium sui iuris, Confoederatio monastica, Consociatio Confoederationum, Ordo et Congregatio, Ordinis Congregationisve provincia vel quasi provincia et domus sunt capaces acquirendi et possidendi quaevis bona temporalia, nisi typica vel statuta acquirendi capacitatem excludant aut coarcent.

§ 2. In typicis vel statutis normae statuantur de usu et administratione bonorum ad propriam paupertatem fovendam, tuendam et exprimendam, necnon normae quibus ambitus seu extensio capacitatis acquirendi expresse declarentur.

§ 3. Bona temporalia de quibus in § 1 reguntur normis in canonibus NN<sup>2</sup> contentis, nisi aliud a iure expresse caveatur aut ex natura rei constet; in collocatione vel collocationis mutatione pecuniae quae destinata sit operibus de quibus in canone NN<sup>3</sup> requiritur ad validitatem actus consensus Hierarchae loci.

§ 4. Ad validitatem alienationis bonorum de quibus in canone NN<sup>4</sup> requiritur:

1) in territorio Ecclesiae patriarchalis licentia Patriarchae, ad normam canonis NN<sup>5</sup> quoties alienatio summam a Synodo Episcoporum statutam excedit;

2) extra territoria Ecclesiae patriarchalis licentia Sedis Apostolicae quoties alienatio summam ab ipsa Sede Apostolica statutam excedit.

<sup>1</sup> Remittitur ad canonem 35 Litt. Ap. « Cleri sanctitati », opportune recognitum.

<sup>2</sup> Remittitur ad canones 257-301 Litt. Ap. « Postquam Apostolicis Litteris » alibi recognitos.

<sup>3</sup> Remissio fit ad § 3 canonis 254 Litt. Ap. « Postquam Apostolicis Litteris » opportune recogniti.

<sup>4</sup> Sermo est de canone 279 Litt. Ap. « Postquam Apostolicis Litteris » alibi recognito.

<sup>5</sup> Agitur de bonis de quibus in canone 281 Litt. Ap. « Postquam Apostolicis Litteris » opportune recognito.

---

### Can. 15 (PA 136)

Omnis et singuli sodales Monasteriorum, Ordinum et Congregationum debent non solum quae nuncuparunt vota fideliter integreque servare sed etiam secundum typica vel statuta vitam componere atque ita ad perfectiōnem sui status contendere.

### Can. 16 (PA 135)

Omnis et singuli sodales Monasteriorum, Ordinum et Congregationum tenentur obligationibus quibus clerici iure communi adstringuntur, nisi ex natura rei vel ex textu contextuque legis aliud constet.

### Can. 17 (PA 158)

Litterae sodalium ad Superiores etiam externos quibus subsunt vel litterae quae ipsi ab iisdem Superioribus recipiunt, nulli inspectioni obnoxiae sunt.

### Can. 18 (PA 47)

Vetitum est monachos ceterosque religiosos titulis dignitatum vel officiorum mere honorificis augere; typicis vel statutis id permittentibus admittuntur tantummodo tituli officiorum maiorum quae sodales iam exercuerint.

### Can. 19 (PA 175-178)

§ 1. Sodalis Monasterii, Ordinis vel Congregationis, sine licentia proprii Superioris maioris nequit inde a prima professione ad dignitates vel officia extra proprium institutum promoveri, iis exceptis quae per electionem a Synodo Episcoporum peractam conferuntur, et firmo canone NN<sup>6</sup>.

§ 2. Sodalis renuntiatus Patriarcha vel Episcopus, manet votis certisque suaे professionis obligationibus adstrictus, iis exceptis quae cum sua dignitate ipse prudenter iudicet componi non posse; voce activa et passiva in proprio Monasterio, Ordine vel Congregatione caret; a potestate Superiorum eximitur.

§ 3. 1) Sodalis Monasterii vel Ordinis qui definitivae professus est, si est Patriarcha, Episcopus eparchialis eique aequiparatus, proprietatem bonorum quae ipsi obveniunt, etsi intuitu personae, acquirit Ecclesiae patriarchalitatis.

---

<sup>6</sup> Remittitur ad textum recognitum canonis 260 § 1 n. 2 a) Litt. Ap. « Cleri sanctitati ».

chali, eparchiae vel exarchiae, secus Monasterio vel Ordini, firmo iure ipsius ad usum, usumfructum ac administrationem eorundem bonorum.

2) Sodalis Congregationis vel temporanea tantummodo professione in Monasterio vel Ordine adstrictus, bonorum quae habebat recuperat usum, usumfructum et administrationem; quae postea ipsi obveniunt sibi plene acquirit.

§ 4. Expleto munere sodalis ad Monasterium, Ordinem vel Congregationem redire debet firmis canonibus NN<sup>7</sup>.

#### Can. 20 (PA 5)

§ 1. Domus et provinciae Religionum latini ritus, quae orientali ritui, probante Apostolica Sede, adscriptae sunt, ius hac lege statutum servare debent, salvis praescriptis statutorum quae internum regimen Religionis respiciunt.

§ 2. Monasterium, Ordo vel Congregatio ritus orientalis quae, consentiente Sede Apostolica, domus et provincias diversi ritus orientalis habent, quod attinet ad regimen ab illa ecclesiastica Hierarchia pendent, quam designaverit eadem Sedes Apostolica.

### Caput II

#### DE MONASTERIIS

#### Can. 21 (PA 8, 313)

§ 1. Monasterium dicitur domus in qua sodales ad evangelicam perfectionem tendunt servatis regulis et traditionibus vitae monasticae.

§ 2. Monasterium autonomum seu sui iuris est illud quod ab alio Monasterio non dependet et regitur typico a legitima auctoritate adprobato necnon normis in canonibus huius capituli praescriptis.

#### Can. 22 (PA 313)

Monasterium sui iuris, cuiusvis condicionis iuridicae, monasteria dependentia habere potest, quorum alia sunt *filialia* si ex ipso actu fundationis vel ex speciali decreto iuxta typicum lato ad condicionem Monasterii sui iuris tendere possunt, alia vero sunt tantum *subsidiaria*.

<sup>7</sup> Remissio fit ad duo canones novos « De Constitutione hierarchica Eccl. Orientium », de iis qui olim Patriarchae fuerunt necnon de Episcopis qui officio suo renuntiaverunt.

---

## ART. I - *De erectione et suppressione Monasteriorum sui iuris*

### Can. 23 (PA 8)

§ 1. Hierarchae loci est erigere Monasterium sui iuris, auditio in territorio Ecclesiae patriarchalis Patriarcha et consulta, extra hoc territorium, Sede Apostolica; ad erigendum vero Monasterium dependens sufficit licentia Hierarchae loci.

§ 2. Patriarchae reservatur, obtento consensu Synodi permanentis, erectio Monasterii stauropegiaci ad normam canonis NN<sup>8</sup>.

### Can. 24 (PA 9)

§ 1. Erectio Monasterii, etiam dependentis, secumfert licentiam habendi ecclesiam et sacra ministeria peragendi itemque pia opera exercendi Monasterii ad normam statutorum propria salvis clausulis legitime appositis.

§ 2. Ut aedificantur et aperiantur schola, hospitium vel similis aedes separata a Monasterio, requiritur pro quovis Monasterio specialis Hierarchae loci licentia.

§ 3. Ut constitutum Monasterium in alios usus convertatur, eaedem sollemnitates requiruntur quae ad erigendum illud, nisi agatur de conversione quae ad internum regimen et disciplinam religiosam dumtaxat referatur.

### Can. 25 (PA 10)

§ 1. In territorio Ecclesiae patriarchalis Monasterium sui iuris vel filiale iuris eparchialis vel stauropegiacum, supprimere valet tantummodo Patriarcha, gravi de causa, de consensu Synodi permanentis et rogante vel auditio Hierarcha loci si Monasterium sit iuris eparchialis, et auditio Superiore Monasterii, et Praeside Confoederationis si Monasterium sit confoederatum, salvo recursu in suspensivo ad Romanum Pontificem.

§ 2. Extra territorium Ecclesiae patriarchalis Monasterium sui iuris vel filiale tantummodo Sedes Apostolica supprimere potest.

§ 3. Monasterium subsidiarium supprimi potest a Superiore Monasterii a quo dependet ad normam statutorum praevio consensu Hierarchae loci, et, in casu Monasterii stauropegiaci, Patriarchae.

---

<sup>8</sup> Remittitur ad canonem 263, alibi recognitum, Litt. Ap. « Cleri sanctitati ».

---

§ 4. Bona Monasterii sui iuris suppressi cedunt Confoederationi si fuit confoederatum; secus, eparchiae, vel, si fuerit stauropegiacum, Ecclesiae patriarchali; bona autem monasterii dependentis suppressi, cedunt Monasterio sui iuris: salva omni in casu offerentium voluntate.

Can. 26 (PA 11)

§ 1. Plura eiusdem eparchiae Monasteria sui iuris Hierarchae loci subiecta Confoederationem inire possunt de licentia eiusdem Hierarchae cui est etiam foederis leges adprobare.

§ 2. Confoederatio inter plura sui iuris Monasteria diversarum eparchiarum vel stauropegiaca, intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis, institui potest de licentia Patriarchae, cui reservatur quoque foederis leges adprobare.

§ 3. In coeteris casibus ad Confoederationem inter Monasteria sui iuris instituendam ad Sedem Apostolicam recurratur.

Can. 27 (PA 12)

§ 1. Monasterii non confoederati aggregatio et confoederati a Confoederatione separatio eidem auctoritati reservatur de qua in canone 25.

§ 2. Suppressio autem Confoederationis intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis fieri non potest nisi a Patriarcha de consensu Synodi Episcoporum, auditio loci Hierarcha, si agatur de Confoederatione eparchiali, et Praeside Confoederationis, salvo recursu in suspensivo ad Romanum Pontificem; extra territoria Ecclesiae patriarchalis suppressio Confoederationis reservatur Sedi Apostolicae.

§ 3. De bonis autem quae ad ipsam Confoederationem suppressam pertinent statuere reservatur ei auctoritati de qua in § 2, salva offerentium voluntate.

Can. 28 (PA 7)

§ 1. Consensus et licentia de quibus in canonibus huius articuli ad validitatem actus requiruntur, et in scriptis dari debent, sicut et actus de erectione, immutatione et suppressione cuiuslibet Monasterii.

§ 2. Actus de quibus in § 1 nec ab Administratore sedis vacantis nec a Syncello speciali mandato carente ferri possunt.

---

*ART. II - De Monasteriorum Superioribus et Synaxibus,  
confessariis et oeconomis*

Can. 29 (PA 26, 28 et 29)

§ 1. Superiores et Synaxes Monasteriorum in omnes sodales, ad normam typicorum et iuris communis, potestatem dominativam.

§ 2. Superiores in Monasteriis sui iuris habent potestatem regiminis exsecutivam tantum in casibus iure expressis.

§ 3. Praesidis Confoederationis monasticae potestas desumenda est praeterquam ex iure communi ex legibus et statutis eiusdem Confoederationis.

Can. 30 (PA 31)

Firmis Monasterii sui iuris statutis quae potiora exigant, ut quis habilis sit ad munus Superioris Monasterii sui iuris suscipiendum requiritur ut professionem definitivam emiserit et annos triginta expleverit.

Can. 31 (PA 32)

Superior Monasterii sui iuris in officio ad vitam permanet, nisi aliter ferat typicum.

Can. 32 (PA 34 et 35)

§ 1. Superior Monasterii sui iuris eligitur in Synaxi ad normas typici coadunata et observatis canonibus NN<sup>9</sup>, salvo iure Hierarchae loci vel, si Monasterium sit stauropegiacum, Patriarchae, Synaxi electionis per se vel per alium praeesse et firma § 2.

§ 2. In electione Superioris Monasterii sui iuris confoederati Synaxi electionis praeest, per se vel per alium, Praeses eiusdem Confoederationis.

§ 3. Sodales Synaxis electionis omnes eligere satagant quos in Domino vere dignos et idoneos pro officio Superioris agnoscant, abstinentes a quovis abusu et potissimum a suffragiorum procuratione tam pro seipsis quam pro aliis.

§ 4. Nisi typicum aliud praescribit, Superiores monasteriorum dependentium constituuntur a Superiori Monasterii sui iuris de consensu sui Consilii ad tempus in ipso typico determinatum.

---

<sup>9</sup> Remittitur ad canones 102-124 Litt. Ap. « Cleri sanctitati » opportune recognitos.

Can. 33 (PA 36)

In suo quisque Monasterio Superiores commorentur neque ab eodem discedant, nisi ad normam typicorum.

Can. 34 (PA 50-62)

§ 1. Ab ipso Superiore Monasterii plures pro sodalium numero patres spirituales et confessarii legitime approbati designentur in singulis Monasteriis in quibus presbyteri-monachi adsunt; secus vero a Hierarcha cui Monasterium immediate subditur, auditio Superiore Monasterii sui iuris.

§ 2. Idem Hierarcha et eodem modo designat quoque sacerdotem a sacris et a contionibus in Monasteriis in quibus presbyteri-monachi non degunt.

§ 3. Firmis typicis quae confessionem suadent apud determinatos confessarios peragendam, omnes sodales Monasterii, ad propriae conscientiae quietem, confessionem sacramentalem instituere possunt apud quemcumque sacerdotem ad sacramentum poenitentiae administrandum in loco approbatum, firma semper disciplina religiosa Monasterii.

Can. 35 (PA 48)

§ 1. Pro administratione bonorum temporalium sint in Monasteriis oeconomi, qui officio suo fungantur sub moderamine Superioris.

§ 2. Superior Monasterii sui iuris munus oeconomi eiusdem Monasterii simul ne gerat; munus vero oeconomi monasterii dependentis, quamvis melius a munere Superioris distinguatur, componi tamen cum eo potest, si necessitas id exigat.

§ 3. Oeconomus nominatur a Superiore Monasterii sui iuris cum consensu sui Consilii, nisi typicum aliud ferat.

ART. III - *De admissione in Monasteria et de novitiatu*

Can. 36 (PA 70)

Ut quis in Monasterium admittatur requiritur ut recta intentione moveatur, ad monasticam vitam ducendam sit idoneus et nullo legitimo detineatur impedimento.

---

### Can. 37 (PA 71-73)

Candidatus, antequam ad novitiatum admittatur, per temporis spatum a typicis determinatum in Monasterio degere debet sub speciali cura probati monachi.

### Can. 38 (PA 74)

Firmis praescriptis in propriis typicis Monasteriorum statutis, quae potiora exigunt, ad novitiatum valide admitti non possunt:

- 1) non catholici;
- 2) qui poenae canonicae subiciuntur, exceptis poenis de quibus in canone NN<sup>10</sup>;
- 3) quibus imminet gravis poena ob delictum de quo legitime accusati sunt;
- 4) qui aetatem 18 annorum non habent;
- 5) qui Monasterium ingrediuntur vi, metu gravi aut dolo inducti, vel quos Superior eodem modo inductus recipit;
- 6) coniuges, durante matrimonio;
- 7) qui obstringuntur vinculo professionis religiosae.

### Can. 39 (PA 74)

Ad novitiatum Monasterii ritus a proprio diversi quis illicite admittitur, nisi licentiam a Sede Apostolica obtinuerit.

### Can. 40 (PA 74)

§ 1. In sacris ordinibus constituti nequeunt in novitiatum Monasterii admitti inconsulto proprio Hierarcha vel eo contradicente, nec illi qui, ad sacerdotium in Monasterio destinati, aliqua irregularitate aliove canonico impedimento detineantur.

§ 2. Admitti non possunt in Monasterium parentes quorum opera sit ad liberos alendos et educandos necessaria; nec filii qui patri vel matri, avo vel aviae in gravi necessitate constitutis opitulari debent, nisi Monasterium aliter de re providerit.

### Can. 41 (PA 75-78, 84)

§ 1. Superioris Monasterii sui iuris est admittere ad novitiatum, auditio suo Consilio.

---

<sup>10</sup> Remissio fit ad canonem novum schematis provisorii *De penalibus sanctionibus* qui in *Nuntia* 4 pag. 87 (can. 29) legi potest.

§ 2. Ipsi Superiori constare debet, opportunis mediis adhibitis, de plena libertate candidati in statu monastico eligendo.

§ 3. In Monasteriis sui iuris quod spectat documenta ab aspirantibus et novitiis praestanda necnon diversa testimonia de eorum vita et idoneitate colligenda serventur praescripta typicorum.

Can. 42 (PA 79-83)

In typicis definiendae sunt normae circa dotem, ubi requiritur, ab aspirantibus praestandam et sub speciali vigilantia Hierarchae loci administrandam necnon de integra dote sine fructibus iam maturis, quavis de causa a Monasterio discedenti, restituenda.

Can. 43 (PA 86)

Novitiatus incipit susceptione habitus, vel alio modo in typicis praescripto.

Can. 44 (PA 86)

§ 1. Unumquodque Monasterium sui iuris iure potitur habendi proprios novitos qui in eodem Monasterio sub ductu idonei monachi vitae monasticae initiantur.

§ 2. Adspirantes novitiatum peragere possunt, Superioris decisione auditio proprio Consilio, in alio Monasterio sui iuris eiusdem Confoederationis.

§ 3. Si quod Monasterium sui iuris, sive confoederatum sive non confoederatum, praescripta de institutione novitiorum implere non valeat, Superior tenetur obligatione adspirantes mittendi in aliud Monasterium in quo eadem praescripta religiose servantur.

Can. 45 (PA 88-89)

§ 1. In Monasteriis in quibus nonnisi definitiva professio iuxta typica habetur, novitiatus ut validus sit per integros tres annos peragi debet; in Monasteriis vero ubi professio temporanea praemittatur professioni definitiae saltem per biennium novitiatus perdurare debet, nisi typica maius temporis spatium exigant.

§ 2. Ad validitatem uniuscuiusque anni novitiatus requiritur praesentia saltem novem mensium in Monasterio in quo quis ad normam canonis 44 novitiatum peragere debeat; absentia vero tribus mensibus brevior, apta prorogatione completur auctoritate Superioris Monasterii sui iuris.

---

#### Can. 46 (PA 92-97)

§ 1. Novitiorum institutioni praeficiendus est, ad normam typicorum, monachus prudentia, caritate, pietate, scientia et vitae monasticae observantia conspicuus, decem saltem annis a prima professione professus.

§ 2. Iura ac obligationes monachi de quo in § 1, in iis praecepsim quae modum institutionis novitiorum necnon relationes ad Synaxim et Superiorum Monasterii spectant, determinentur in typicis uniuscuiusque Monasterii.

#### Can. 47 (PA 98-99)

Tempore primi saltem novitiatus anni necnon per integrum bimestre ante professionem monasticam emitteandam ne destinentur novitii exterioribus Monasterii muniis, neve dedita opera studiis vacent litterarum, scientiarum aut artium.

#### Can. 48 (PA 101-104)

§ 1. Novitus nequit valide suis bonis quovis modo renuntiare aut eadem obligare.

§ 2. Antequam professionem temporaneam emittat, ubi haec requiritur, debet ad totum tempus quo eadem professione adstringetur bonorum suorum, sive quae actu habet sive quae ipsi forte postea supervenerint, administrationem cedere cui maluerit et de eorundem usu et usufructu libere disponere.

§ 3. Novitus ante professionem testamentum de bonis praesentibus vel forte obventuris libere condat.

§ 4. Durante novitiatu, sacro ritu, quo quis clericus fit, novitus initiari non potest, nec ad ulteriorerum gradum ordinis promoveri.

#### Can. 49 (PA 105)

§ 1. Novitus potest Monasterium libere deserere aut a Superioribus vel a Synaxi, secundum typica iusta de causa dimitti, nec Superior vel Synaxis obligatione tenentur ipsi patefaciendi dimissionis causam.

§ 2. Exacto novitiatu, si iudicetur idoneus, novitus ad professionem admittatur, secus dimittatur: si dubium supersit sitne idoneus, potest probationis tempus ad normam typicorum prorogari non tamen ultra annum.

## ART. IV : *De professione monastica*

### Can. 50 (PA 112)

§ 1. Status monasticus definitive assumitur per professionem monasticam, in qua comprehenduntur tria vota perpetua oboedientiae, castitatis et paupertatis.

§ 2. In emittenda professione monastica definitiva serventur praescripta typicorum et librorum liturgicorum.

### Can. 51 (PA 109)

Quod attinet ad diversos professionis monasticae definitivae gradus, salva in singulis gradibus vi definitiva eiusdem professionis, standum typicis Monasteriorum.

### Can. 52 (PA 106)

Ad validitatem professionis monasticae definitivae requiritur:

- 1) ut novitiatus valide peractus sit;
- 2) ut, in Monasteriis ubi ex typicis praescribitur, professionis temporaneae tempus elapsum sit;
- 3) admissio ad professionem a Superiore Monasterii sui iuris, de consensu sui Consilii, praehabito de idoneitate candidati scripto iudicio monachi cui institutio novitiorum commissa sit vel, si professio temporanea praecesserit, immediati eiusdem candidati moderatoris; necnon receptio professionis a Superiore Monasterii sui iuris;
- 4) ut cetera ad validitatem professionis in typicis requisita adimplantur.

### Can. 53

Ea quae in canonibus 109-112 de temporanea professione praescribuntur valent etiam de Monasteriis in quibus talis professio, iuxta typica, definitivae professioni monasticae praemittatur.

### Can. 54 (PA 115)

Status monasticus definitive assumptus actus votis contrarios reddit invalidos, si actus irriti fieri possint.

### Can. 55 (PA 117)

§ 1. Candidatus ad professionem monasticam definitivam debet intra sexaginta dies ante professionem omnibus bonis quae actu habet, cui ma-

---

luerit, sub conditione securae professionis renuntiate; renuntiatio ante hoc tempus facta ipso iure irrita est.

§ 2. Emissa professione, ea omnia statim fiant quae necessaria sunt, ut renuntiatio etiam iure civili effectum consequatur.

Can. 56 (PA 68 et 118)

§ 1. Quaecumque bona temporalia quovis titulo monacho, post professionem definitivam, obveniunt, a Monasterio acquiruntur.

§ 2. De debitis, quae monachus post professionem definitivam contraxerit cum licentia Superioris, respondere debet Monasterium; si vero sine licentia Superioris debita contraxerit, ipsemet respondere debet.

Can. 57 (PA 120 et 121)

Monachus, emissa professione monastica definitiva, amittit ipso iure quaelibet officia et propriam, quam habebat, eparchiam atque pleno iure Monasterio aggregatur ad normam typicorum.

Can. 58 (PA 112)

Documentum emissae professionis monasticae, ab ipso professo et ab eo coram quo professio emissa est subscriptum, servetur in tabulario Monasterii. Si de definitiva professione agatur, Superior eam excipiens debet de eadem quamcuius certiore facere parochum apud quem profitentis baptismus adnotandus est, ut in libro baptizatorum adnotetur.

ART. V -*De Institutione et disciplina in Monasteriis servanda*

Can. 59

Modus institutionis monachorum in typicis ita determinetur ut ipsorum capacitates rite evolvantur studio sacrae doctrinae et acquisitione humanae culturae pro temporum necessitatibus, et sic aptiores evadant in exercitio artium atque munierum quae a Monasterio legitime assumuntur.

Can. 60 (PA 123-130)

Institutio monachorum qui ad sacros ordines destinantur fieri debet iuxta Rationem studiorum in canonibus NN<sup>11</sup> praescriptam, in ipso Mo-

---

<sup>11</sup> Remissio fit ad canones « De institutione clericorum » quorum primum schema in *Nuntia 8* pag. 68-84 legi potest.

nasterio, si sedem studiorum rite instructam habet, secus in alio Seminario vel Athenaeo ab auctoritate ecclesiastica adprobato.

Can. 61 (PA 131-134)

Superior Monasterii sui iuris, ad normam typicorum, dare potest suis sodalibus litteras dimissorias ad ordines diaconatus vel presbyteratus, emissa definitiva professione; hae litterae mittendae sunt Hierarchae cui Monasterium immediate subicitur vel Episcopo ab ipso Hierarcha designato.

Can. 62 (PA 138, 157)

§ 1. In singulis Monasteriis divinum officium iuxta proprium ritum quotidie celebretur ad normam typicorum et legitimarum consuetudinum.

§ 2. Curent Superiores Monasteriorum ut omnes monachi ad normam typicorum:

1) legitime non impediti quotidie divinae Liturgiae iuxta ritus praescripta participant, contemplationi rerum divinarum vacent et in alia pietatis officia sedulo incumbant;

2) libere ac frequenter ad patres spirituales et confessarios accedere possint;

3) quotannis per aliquot dies recessibus spiritualibus vacent.

Can. 63 (PA 139)

Ad habitum monachorum tum intra quam extra Monasteria quod spectat standum praescriptis typicorum et normis Hierarcharum locorum.

Can. 64 (PA 140-144 et 146-147)

§ 1. In Monasteriis canonice constitutis servetur clausura modo in typicis praescripto, salva facultate Superioris per modum actus et gravi causa in partes clausurae obnoxias admittendi personas alterius sexus, praeter illas quae iuxta typica clausuram ingredi possunt.

§ 2. Partes Monasterii clausurae obnoxiae manifesto indicentur.

§ 3. Clausurae fines accurate praescribere aut legitimis de causis mutare est Superioris Monasterii sui iuris cum consensu sui Consilii atque adprobacione Hierarchae cui Monasterium immediate subicitur.

Can. 65 (PA 145)

Superiores possunt permittere ut subditi extra Monasterium degant ad tempus in typicis determinatum; ad absentiam vero quae sex menses

---

excedat requiritur licentia Hierarchae cui Monasterium immediate subicitur, firmo canone 60.

Can. 66 (PA 154)

Si, Hierarchae loci iudicio, monachorum auxilium ad catecheticam populi institutionem sit necessarium, Superiores Monasteriorum, etiam exemptorum, ab eodem Hierarcha requisiti, debent per se vel per suos sodales illam populo tradere in propriis ecclesiis.

Can. 67 (PA 156)

In ecclesiis Monasteriorum paroeciae erigi non possunt nec valent monachi in officium parochorum ab Hierarchis locorum assumi sine licentia Patriarchae vel, extra territoria Ecclesiarum patriarchalium, Sedis Apostolicae, quo in casu applicatur canon 123.

ART. VI - *De Eremitis*

Can. 68 (PA 314)

Eremita est monachus qui in coelestium contemplatione sese totum collocat et ab hominibus mundoque ex toto segregatur.

Can. 69 (PA 314)

Ad vitam eremiticam legitime aggrediendam requiritur ut monachus, licentiam Superioris Monasterii sui iuris, ad quem pertinet, de consensu sui Consilii obtinuerit; et ut saltem per sex annos a die definitivae professionis computandos vitam in Monasterio peregerit.

Can. 70

Locus in quo eremita vivit sit a Superiore Monasterii designatus atque speciali modo a saeculo et a ceteris partibus Monasterii segregatus: si vero locus extra territoria Monasterii inveniatur requiritur insuper consensus scripto datus loci Hierarchae.

Can. 71 (PA 4)

Eremita a Superiore Monasterii proprii dependet atque canonibus de monachis et typicis monasterii obligatur, inquantum haec cum sua vita eremitica componi possunt.

## Can. 72

Superior Monasterii ius habet, de consensu sui Consilii, imponendi finem vitae eremiticae iustas ob causas, etiam invito eremita.

## ART. VII - *De privilegio stauropegii*

### Can. 73 (PA 164)

§ 1. Monasteria quae stauropegii privilegio ad normam canonis NN<sup>12</sup> donantur a potestate Hierarchae loci eximuntur et potestati Patriarchae immediate et exclusive subiiciuntur sive regimen internum et disciplinam quod spectat sive quae ad divini cultus exercitium et externa apostolatus opera in territorio Monasterii exercenda referuntur.

§ 2. Nisi aliud in decreto Patriarchae statuatur, hoc privilegium afficit tantum Monasterium, personas eidem adscriptas et familiares qui die nocturne in domo degunt, firmo praescripto § 3.

§ 3. Personae quaevis quae ad Monasterium stauropegiacum non pertineant, tempore quo eidem sunt addictae, a iurisdictione loci Hierarchae eximuntur et uni Patriarchae subiiciuntur in iis omnibus quae ad suum munus seu officium aut Monasterii disciplinam spectant.

## ART. VIII - *De transitu ad aliud Monasterium*

### Can. 74 (PA 182)

§ 1. Monachus nequit transire a Monasterio sui iuris ad aliud eiusdem Confoederationis sine licentia Praesidis.

§ 2. Ad transitum a Monasterio non confoederato ad aliud Monasterium eidem Hierarchae subiectum requiritur et sufficit licentia eiusdem Hierarchae; si vero Monasterium, ad quod transitus fit, alii Hierarchae subicitur, requiritur etiam licentia huius Hierarchae.

§ 3. Licentia de qua in § 1 et 2 concedi nequit nisi auditio Superiore Monasterii a quo transitus fit necnon consentiente Superiore alterius Monasterii.

---

<sup>12</sup> Remittitur ad canonem 263 Litt. Ap. « Cleri sanctitati » alibi opportune recognitum.

---

§ 4. Ad validitatem transitus ad Monasterium diversi ritus requiritur licentia Sedis Apostolicae.

Can. 75 (PA 183-186)

§ 1. Transiens ad aliud Monasterium sui iuris eiusdem Confoederationis nec noviciatum peragit nec novam professionem emitit et a die transitus amittit iura et solvit ab obligationibus prioris Monasterii et alterius iura et officia suscipit.

§ 2. Transiens a Monasterio sui iuris ad aliud Monasterium sui iuris ad nullam vel ad diversam Confoederationem pertinens, servet praescripta typici Monasterii ad quod fit transitus, quod attinet ad obligationem peragendi noviciatum et emissendi professionem; quodsi in typico de re non caveatur, nec noviciatum peragit nec novam professionem emitit, sed ab ipso die transitus effectus de quibus in § 1 locum habent, nisi Superior Monasterii ab eo exigat ut aliquod tempus, non ultra annum, experimenti causa in Monasterio transigat. Transacto experimenti tempore, aut, cum suffragio deliberativo Consilii seu Synaxis, stabiliter novo Monasterio adscribatur aut ad pristinum Monasterium redeat.

§ 3. In transitu e Monasterio ad Ordinem vel Congregationem servetur praescriptum canonis 127.

§ 4. Monasterium, a quo monachus discedit, bona servat quae ipsius monachi ratione iam ei quaesita fuerunt; quod spectat ad dotem et bona personalia, si qua habeat monachus, ipsa debentur, cum iisdem iuridicis effectibus, a die transitus, Monasterio ad quod transitus fit.

#### ART. IX - *De egressu e Monasterio*

Can. 76 (PA 188-189)

§ 1. Praeses Confoederationis, auditio suo Consilio, gravi de causa, concedere potest licentiam monacho definitive professo, eam petenti, vitam extra Monasterium agendi non autem ultra triennium, firmis votis ceterisque suaे professionis obligationibus, quae cum statu suo componi possunt; caret tamen voce activa et passiva et Hierarchae territorii, ubi ex eiusdem Hierarchae consensu commoratur, subditur etiam vi voti oboedientiae.

§ 2. In Monasteriis non confoederatis ea de quibus in § 1 concedit Hierarcha cui Monasterium immediate subicitur, auditio Superiore Monasterii cum suo Consilio.

---

§ 3. Quando illa de quibus in § 1 imponuntur monacho renuenti, Praeses Confoederationis vel Hierarcha antequam decretum validum in te ferunt, monachum, plena facultate eidem sese defendendi servata, ad discussionem oralem admittant praesentibus duobus antiquioribus definitive professis Monasterii sodalibus et notario; in decreto exponendae sunt, ad eiusdem decreti validitatem, rationes facti et iuris, quibus decisio innititur.

Can. 77 (PA 190)

Indultum discedendi a Monasterio concedit, ad petitionem monachi, Hierarcha cui Monasterium immediate subicitur, auditio Superiore Monasterii una cum suo Consilio.

Can. 78 (PA 191)

§ 1. Qui, impetrato indulto discedendi a Monasterio, statum monasticum relinquit, saecularibus assimilatur, firmis tamen oneribus ordini sacro adnexit, si ordine sacro auctus fuerit.

§ 2. Si in Monasterium rursus recipiatur, novitiatum ac professionem instaurat et locum inter professos obtinet a die novae professionis.

Can. 79 (PA 192)

§ 1. Qui statum monasticum definitive assumpsit et est sacro ordine auctus, si indultum discedendi a Monasterio obtainuerit, nequit sacros ordines exercere donec Hierarcham loci benevolum receptorem invenerit aut Patriarcha vel Sedes Apostolica aliter providerit.

§ 2. Hierarcha eum recipere potest sive absolute, sive experimenti causa ad quinquennium; in priore casu, monachus eo ipso est eparchiae adscriptus, in altero, exacto quinquennio, nisi antea expresse dimissus fuerit.

Can. 80 (PA 195-196)

Monachus definitive professus, si Monasterium illegitime deserit, debet sine mora ad Monasterium redire; Superioris debent eum sollicite requirere et ipsum suspicere si, vera poenitentia actus, redeat; secus ad normam iuris puniatur, etiam dimissione ad normam canonum 82-83.

Can. 81 (PA 187)

Professus votorum temporariorum in Monasteriis dimittitur ad normam canonum 128, 131, 132.

---

## ART. X - *De dimissione monachorum*

### Can. 82 (PA 197-198)

Superior Monasterii sui iuris de consensu sui Consilii statim dimittere potest monachum qui:

- 1) publice apostasiam, haeresim, schisma professus fuerit;
- 2) matrimonium, etiam civile tantum, contraxerit aut attentaverit;
- 3) culpabiliter causa sit imminentis et gravissimi vel exterioris scandali vel erga Monasterium damni.

### Can. 83 (PA 202-219)

In aliis casibus qui statum monasticum definitive assumpsit ne dimitatur nisi ad normam §§ 1-4 qui sequuntur.

§ 1. Ad decretum dimissionis ferendum competens est Praeses Confoederationis monasticae, Superior Monasterii sui iuris non confoederati, unusquisque cum consensu sui Consilii quod in casu simul cum Superiore Praeside quinque saltem membris ad validitatem constare debet, ita ut deficientibus vel absentibus ordinariis consiliariis alii ad normam typicorum advocentur; suffragatio autem secreto fieri debet.

§ 2. Ad dimissionem decernendam, praeter alias conditiones a typicis forte statutas, requiritur ut:

- 1) causae dimissionis sint graves, culpabiles et iuridice comprobatae;
- 2) dimissioni praecesserint, cum formalí comminatione subsecutae dimissionis, duae monitiones canonicae quae in cassum cesserint;
- 3) causae dimissionis monacho manifestatae fuerint in scriptis, data eidem, post singulas monitiones, plena libertate sese defendendi;
- 4) tempus utile a typicis statutum ab ultima monitione elapsum fuerit.

§ 3. Responsiones monachi scripto exaratae allegantur actis quae iis de quibus in § 1 submittenda sunt.

§ 4. Decretum dimissionis exsecutioni mandari nequit nisi fuerit a Hierarcha cui Monasterium immediate subicitur probatum.

### Can. 84

Decretum dimissionis quamprimum monacho cuius interest communicitur data eidem facultate, intra decem dies, sive recurrendi cum effectu suspensivo ad Patriarcham vel ad Sedem Apostolicam, sive postulandi, nisi decretum dimissionis a Sede Apostolica confirmatum est, ut causa apud tribunal Hierarchae immediate superioris ei qui decretum dimissionis, con-

*firmavit iudicali modo pertractetur: hoc in casu Hierarcha acta ad normam canonis 83 collecta tradat promotori iustitiae et procedatur ad normam canonum NN (de processu criminali), ulteriore appellatione remota.*

#### Can. 85

§ 1. Legitima dimissione ipso facto cessant omnia vincula necnon obligationes ex professione monastica promanantia.

§ 2. Si dimissus ordine sacro est auctus servandus est canon 79.

§ 3. Monasterium ex caritate providere debet ut, per aliquod tempus, mutuo consensu vel, in casu dissensus, ab Hierarcha cui Monasterium immediate subicitur determinandum, monachus dimissus honeste vivere possit.

### Caput III DE ORDINIBUS ET CONGREGATIONIBUS

#### Can. 86 (PA 314, 312)

§ 1. *Ordo* est persona iuridica in qua, licet sodales non sint monachi, vota nuncupantur, quae votis monachorum aequiparantur.

§ 2. *Congregatio* est persona iuridica in qua sodales tria vota publica oboedientiae, castitatis et paupertatis emittuntur, quae tamen votis monachorum non aequiparantur, sed propriam vim habent ad normam iuris communis vel statutorum.

§ 3. *Ordo* et *Congregatio* dicuntur *clericales* si in iis plerique sodales et omnes Superiores ex Instituto sacerdotio augentur.

§ 4. *Provincia* indicat personam iuridicam, partem eiusdem Ordinis vel Congregationis, pluribus domibus constantem, quam Superior maior immediate regit.

§ 5. *Domus formata* ea est in qua sex saltem sodales professi degunt quorum, si agatur de clericalibus Ordine vel Congregatione, quattuor saltem sint sacerdotio aucti.

### ART. I - De erectione et suppressione Ordinis, Congregationis, provinciae, domus

#### Can. 87 (PA 13)

§ 1. Hierarchae loci condere possunt Congregationes, in territorio Ecclesiae patriarchalis auditio Patriarcha, in ceteris vero casibus consulta Sede Apostolica.

---

§ 2. Patriarcha condere potest Ordines et Congregationes iuris patriarchalis de consensu Synodi Episcoporum.

§ 3. Congregatio iuris eparchialis, quae decursu temporis in plures eparchias diffusa sit fieri potest iuris patriarchalis, decreto Patriarchae, auditis iis quorum interest et obtento consensu Synodi permanentis.

§ 4. In erectione Congregationum et Ordinum caveatur ne in eodem territorio multiplicentur Ordines et Congregationes quae fere eundem habent finem et missionem.

Can. 88 (PA 14)

§ 1. Ordo et Congregatio iuris patriarchalis supprimi possunt a Patriarcha modo in canone praecedenti § 2 praescripto.

§ 2. Congregationem iuris eparchialis supprimere potest Patriarcha auditis iis quorum interest et de consensu Synodi permanentis.

§ 3. Patriarcha qui legitime supprimit Ordinem vel Congregationem potest etiam de bonis suppressi Ordinis vel Congregationis statuere de consensu Synodi Episcoporum vel, in casu Congregationis iuris eparchialis, de consensu Synodi permanentis, et salva offerentium voluntate.

Can. 89

De decisionibus de quibus in cann. 87 et 88 Patriarcha tempestive Sedem Apostolicam certiore faciat.

Can. 90 (PA 15)

§ 1. Ordinem vel Congregationem in provincias dividere, constitutas iam provincias coniungere vel aliter circumscribere, novas condere conditasve supprimere pertinet ad auctoritatem a statutis Ordinis vel Congregationis determinatam.

§ 2. De bonis extinctae provinciae statuere, salvis iustitiae legibus et fundatorum voluntate, spectat, nisi statuta aliud caveant, ad Synaxim generalem vel, urgente necessitate, ad Superiorem generalem de consensu sui Consilii.

Can. 91 (PA 17, 19, 20)

§ 1. Ordo et Congregatio quaevis domos valide constituere vel supprimere non potest nisi de consensu, scripto dato, Hierarchae loci; si agatur de prima domo Ordinis vel Congregationis iuris patriarchalis in aliqua eparchia constituenda vel de unica domo alicuius Ordinis vel Congregationis

supprimenda, requiritur insuper consensus Patriarchae et, extra territoria Ecclesiae patriarchalis, Sedis Apostolicae.

§ 2. Quae de Monasteriis praescripta sunt in canone 24 serventur etiam de Ordinibus et Congregationibus.

Can. 92 (PA 7, 21, 22)

De consensu vel licentia de quibus in canonibus 87-91 valent ea de quibus in canone 28.

## ART. II - *De Superioribus et Synaxibus in Ordinibus et Congregationibus*

Can. 93 (PA 26, 79)

§ 1. Superiores in Ordinibus et Congregationibus clericalibus, praeter potestatem dominativam, in sodales gaudent etiam potestate ecclesiastica regiminis pro foro tam externo quam interno prout in statutis legitime adprobatis vel in iure communi ipsis tribuitur.

§ 2. Ii de quibus in § 1 si sunt Superiores maiores in Ordinibus et Congregationibus iuris patriarchalis vel pontificii veniunt nomine Hierarchae ad normam canonis NN<sup>13</sup>.

§ 3. Superiores in Ordinibus et Congregationibus non clericalibus, ad normam statutorum et iuris communis, potestatem habent dominativam in sodales, sed numquam veniunt nomine Hierarchae.

Can. 94 (PA 31)

§ 1. Firmis statutis quae potiora requisita exigant, ad valide suscipiendum officium Superioris maioris in Ordinibus et Congregationibus requiritur ut quis in eodem Ordine vel Congregatione professus sit per decem saltem annos a prima professione computandos.

§ 2. Si de Superiori generali Ordinis vel Congregationis agatur, praeter ea quae ad validitatem in Superiori maiore sive in statutis sive in § 1 requiruntur, necesse est ut annos quadraginta expleverit.

Can. 95 (PA 32 et 33)

§ 1. Superior generalis Ordinis vel Congregationis ad tempus definitum constituatur, nisi aliter ferant statuta.

---

<sup>13</sup> Remissio fit ad canonem 306 Litt. Ap. « Postquam Apostolicis Litteris », alibi recognitum.

---

§ 2. Ceteri Superioriores sive maiores sive locales constituantur ad tempus in statutis determinatum, quo exacto ad idem officium iterum assumi possunt, sed non immediate tertio in eadem provincia si de Superioribus maioribus agatur vel eadem domo si de localibus; tempus in statutis determinatum numquam sexennium excedere potest.

§ 3. In territorio Ecclesiae patriarchalis Patriarcha, iusta de causa, ad petitionem Superiorum maiorum et auditio loci Hierarcha, dispensare potest, Superiores locales quod attinet, a praescripto de quo in § 2.

Can. 96 (PA 34 et 35)

§ 1. Superior generalis in Ordinibus et Congregationibus electione designetur ad normam statutorum.

§ 2. Alii Superiores maiores ad normam statutorum designentur; ita tamen ut si elegantur, confirmatione Superioris generalis indigeant; si vero nominentur, apta consultatio praecedat.

§ 3. Superiores locales ad normam statutorum constituantur, praevia apta consultatione.

§ 4. In electionibus sedulo serventur praescripta canonum NN<sup>14</sup> necnon canon 32 § 3.

Can. 97 (PA 50-62, 138)

§ 1. Superiores omnes frequentem accessum ad poenitentiae sacramentum promovere studeant atque provideant ut sodalibus idonei confessarii praesto sint a quibus saltem bis in mense hoc sacramentum recipere possint, nulla vero facta obligatione ad illos accedendi et firmo canone 34 § 3.

§ 2. Confessarii in Ordinibus et Congregationibus clericalibus a Superioribus maioribus ad normam statutorum instituuntur, in ceteris vero Ordinibus et Congregationibus cuiuscumque iuridicae conditionis a Hierarcha loci collatis consiliis cum communitate cuius interest.

Can. 98 (PA 48)

§ 1. Sint pro administratione bonorum temporalium in Ordinibus et Congregationibus oeconomi; generalis qui Ordinis vel Congregationis universae bona administret; provincialis qui provinciae; localis qui singularum domorum; qui omnes officio suo fungantur sub moderamine Superioris.

---

<sup>14</sup> Remittitur ad canones 102-124 Litt. Ap. « Cleri sanctitati » opportune recognitos.

§ 2. Oeconomi generalis et provincialis munus gerere Superior ipse non potest; munus vero oeconomi localis, quamvis melius a munere Superioris distinguatur, componi tamen cum eo potest, si necessitas id exigat.

§ 3. Si de modo oeconomos designandi statuta sileant, a Superiore maiore de consensu sui Consilii nominentur.

ART. III - *De admissione in Ordines et Congregationes atque de novitiatu*

Can. 99 (PA 70, 74)

Ea quae de admissione in Monasteria sui iuris in canonibus 38, 40 et 42 praescribuntur valent de Ordinibus quoque et de Congregationibus; in casu diversitatis ritus applicatur canon 39, nisi ipsi provincias vel domus eiusdem ritus ad normam canonis 20 habeant.

Can. 100 (PA 71-73)

Candidatus antequam ad noviciatum admittatur sit congruenter praeparatus, per tempus a statutis determinatum, sub speciali cura probati religiosi.

Can. 101 (PA 75)

Ius admittendi candidatos ad noviciatum pertinet ad Superiores maiores ad normam statutorum servatis §§ 2 et 3 canonis 41.

Can. 102 (PA 85)

Noviciatus incipit modo a statutis praescripto.

Can. 103 (PA 87)

Superioris generalis de consensu sui Consilii est:

1) sedes noviciatus constituere in aliqua domo Ordinis vel Congregationis vel eas iam constitutas in aliam domum transferre, praemonitis Hierarchis locorum quorum interest;

2) permittere ut novitiorum coetus, per certa temporis spatia, in alia propriae Ordinis vel Congregationis domo, a se designata, commorentur;

3) si exiguus novitiorum numerus ad vitam communem promovendam non aptus esse videatur, collocare noviciatum apud Ordinis vel Congregationis communitatatem quae ad formationem parvi eiusmodi coetus novitiorum fovendam idonea sit.

---

Can. 104 (PA 88, 89)

§ 1. Ad validitatem requiritur ut novitiatus annum continuum complectatur in domo ad hoc rite designata.

§ 2. Absentia a coetu et a domo novitiatus quae tres menses, sive continuos sive intermissos, superet ipsum novitiatum invalidum reddit; absentia tribus mensibus brevior, apta prorogatione completur auctoritate Superioris maioris auditio novitiorum Magistro; brevissima vero, dispositione Superioris maioris solvitur.

§ 3. Si in Ordine vel Congregatione longius novitiatus tempus in statutis praescribatur, illud non requiritur ut valeat professio, nisi in iisdem statutis aliud expresse dicatur.

Can. 105 (PA 92-97)

§ 1. Novitiorum institutioni praeficiendus est Magister ad normam statutorum, decem saltem ab annis a prima professione professus, prudentia, caritate, pietate, scientia, et status religiosi observantia conspicuus et, si de Ordine vel Congregatione clericali agatur, in presbyteratus ordine constitutus.

§ 2. Magistro, si opus fuerit, cooperatores dari possunt qui in omnibus ei subsint quoad moderamen novitiatus et institutionis rationem.

§ 3. Uni Magistro ius est et officium consulendi novitiorum institutioni, ad ipsumque unum novitiatus regimen spectat, ita ut nemini liceat hisce se, quovis colore, immiscere, exceptis Superioribus quibus id a statutis permittitur ac Visitatoribus; ad disciplinam vero universae domus quod attinet, Magister, quemadmodum et novitii, Superiori est obnoxius.

§ 4. Novitus potestati Magistri ac Superiorum Ordinis vel Congregationis subest iisque oboedire debet.

Can. 106 (PA 98-99)

§ 1. Tempore novitiatus in id omni studio incumbendum est ut, sub disciplina Magistri, informetur novitii animus studio statutorum, piis meditationibus assiduaque prece, iis perdiscendis quae ad vota et ad virtutes pertinent, exercitationibus opportunis ad vitia extirpanda, ad compescendos animi motus, ad virtutes acquirendas.

§ 2. Tempore novitiatus ne destinentur novitii exterioribus Ordinis vel Congregationis muniis neve dedita opera studiis vacent litterarum, scientiarum aut artium.

---

Can. 107 (PA 101-105)

Ea quae de novitiis praescribuntur in canonibus 48 et 49 valent etiam de Ordinibus et Congregationibus, firmo canone 111 §§ 4 et 5.

*ART. IV - De professione in Ordinibus et Congregationibus*

Can. 108 (PA 110)

§ 1. In Ordinibus et Congregationibus quibusvis, exacto tempore novitiatus, illico ad tempus definitum professio publica votorum oboedientiae, castitatis et paupertatis emitenda est, quae nec triennio brevius nec novennio longius sit ad normam statutorum.

§ 2. Tempus de quo in § 1 Superior maior potest, renovata a sodali professione temporanea, prorogare dummodo intervallum decurrens a fine novitiatus ad definitivae professionis emissionem novennium numquam excedat.

Can. 109 (PA 106)

Ad validitatem professionis temporaneae, praeter conditiones a statutis appositas, requiritur novitiatus valide peractus, admissio ad professionem a Superiore maiore facta necnon receptio professionis a Superiore in statutis determinato.

Can. 110 (PA 114)

Professione temporanea adstricti eadem obligatione ac definitivae professi tenentur observandi statuta; voce activa et passiva carent, nisi aliud expresse caveatur in statutis.

Can. 111 (PA 115, 116, 119)

§ 1. Professio temporanea actus votis contrarios reddit illicitos sed non invalidos, nisi aliud expresse iure communi cautum fuerit.

§ 2. Haec professio non aufert sodali proprietatem bonorum suorum neque capacitatem alia bona acquirendi; sodali tamen non licet per actum inter vivos dominium bonorum suorum titulo gratioso abdicare.

§ 3. Quidquid autem sodalis industria sua vel intuitu Ordinis vel Congregationis acquirit, ipsi Ordini vel Congregationi acquirit; nisi contrarium legitime probetur, praesumitur sodalem acquirere intuitu Ordinis vel Congregationis.

§ 4. Cessionem vel dispositionem de quibus in can. 48 § 2 professus mutare potest non quidem proprio arbitrio sed de Superioris maioris consensu, dummodo mutatio ne fiat in favorem Ordinis vel Congregationis; per discessum autem ab Ordine vel Congregatione eiusmodi cessio ac disposilio habere vim desinit.

§ 5. Sodalis ante professionem definitivam testamentum libere condat.

§ 6. Si sodalis professione temporanea adstrictus debita et obligaciones contraxerit ipse respondere debet, nisi de Superioris licentia negotium Ordinis vel Congregationis gesserit.

#### Can. 112 (PA 120)

Emissa professione temporanea ipso facto et sine ulla declaratione vacant quaelibet professi officia.

#### Can. 113 (PA 117 et 119)

§ 1. Candidatus ad professionem definitivam in Ordinibus intra sexagesima dies ante professionem debet omnibus bonis quae actu habet, cui maluerit, sub condicione secuturae professionis renuntiare; renuntiatio ante hoc tempus facta ipso iure irrita est.

§ 2. Emissa professione definitiva in Ordinibus ea omnia statim fiant quae necessaria sunt ut renuntiatio etiam iure civili effectum consequatur.

#### Can. 114 (PA 106)

Ad validitatem professionis definitivae, praeter conditiones a statutis appositis, requiritur praevia professio temporanea ad normam canonis 108, admissio a Superiore maiore facta necnon receptio professionis a Superiore in statutis determinato.

#### Can. 115

§ 1. In Ordinibus professio definitiva monasticae aequiparatur proinde servandi sunt canones 54-57, firmo canone 112.

§ 2. Per professionem definitivam in Congregationibus sodales sacro vinculo perpetuo Congregationi plene aggregantur, immutatis tamen effectibus iuridicis professionis de quibus in canone 111.

§ 3. Circa documenta emissae professionis servandus est canon 58.

---

ART. V - *De institutione et de disciplina in Ordinibus  
et Congregationibus servanda*

Can. 116 (PA 123-130)

Institutio sodalium qui ad sacros ordines destinantur fieri debet iuxta Rationem studiorum in canonibus NN<sup>15</sup> praescriptam, in sede Ordinis vel Congregationis a Synaxi generali vel a Superioribus maioribus ad normam statutorum approbata; si vero sedes propria rite instructa haberi nequit, sodales institui debent sub ductu probati Moderatoris in alio Seminario vel Athenaeo ab auctoritate ecclesiastica adprobato.

Can. 117 (PA 123-130)

Modus institutionis sodalium qui ad ordines sacros non destinantur in statutis Ordinis vel Congregationis ita determinetur ut ipsorum capacitates rite evolvantur studio sacrae doctrinae et acquisitione humanae culturae pro temporum necessitatibus, et sic aptiores evadant in exercitio artium atque munerum quae ab Ordine vel Congregatione legitime assumuntur.

Can. 118 (PA 131-134)

§ 1. Superiores maiores in Ordinibus et Congregationibus ad normam statutorum dare possunt litteras dimissorias ad ordines sacros sodalibus definitive professis.

§ 2. Episcopus ad quem Superior litteras dimissorias mittere debet, est Episcopus eparchiae in qua sita est domus religiosa ad cuius familiam pertinet ordinandus; ad alium Episcopum vero, cum Episcopus eparchialis licentiam dederit, aut sit diversi ritus, aut sit absens, vel denique cum eparchia vacet nec eam regat qui charactere episcopali polleat; de quibus omnibus necesse est ut Episcopo ordinaturo in singulis casibus constet ex authentico curiae episcopali testimonio.

Can. 119 (PA 138 et 157)

§ 1. In singulis domibus Ordinum et Congregationum divinum officium iuxta proprium ritum celebretur ad normas statutorum et legitimarum consuetudinum.

§ 2. Curent Superiores ut omnes sodales ad normam statutorum ea quae in canone 62 praescribuntur adimpleant.

---

<sup>15</sup> Sermo est de canonibus schematis « De institutione clericorum » ubi *de Seminariis* agatur, de quibus plura in *Nuntia* 8, pp. 68-84 legi possunt.

---

Can. 120 (PA 139)

Ad habitum sodalium quod spectat standum praescriptis statutorum et normis Hierarcharum locorum.

Can. 121 (PA 148-153)

Normae quae clausuram attinent in statutis singulorum Ordinum et Congregationum iuxta propriam indolem determinentur, firma facultate omnium Superiorum, etiam localium, iusta de causa per modum actus ab his dispensandi.

Can. 122 (PA 154)

Curent Superiores ut sodales a se designati, praesertim in eparchia in qua degunt, cum a locorum Hierarchis vel parochis eorum ministerium requiritur ad consulendum populi necessitati, tum intra tum extra proprias ecclesias, illud, salva religiosa disciplina, libenter praestant.

Can. 123 (PA 155, 179-181)

§ 1. Si ecclesia, apud quam residet communitas Ordinis vel Congregationis, sit simul paroecialis, particularis scripta conventio ad normam canonum NN<sup>16</sup> statuere debet quaenam sint iura communitatis in ipsam ecclesiam et quaenam parochi.

§ 2. Sodalis Ordinis vel Congregationis qui paroeciam regit manet adstrictus observatione votorum et statutorum quatenus haec observatio potest cum sui officii obligationibus consistere; in iis quae ad religiosam disciplinam attinet subest Superiori, in iis vero quae ad officium parochi spectant iisdem iuribus gaudet et obligationibus adstringitur ac ceteri parochi ac eodem modo Hierarchae loci subest.

Can. 124 (PA 163 et 168)

In Ordinibus, sodales omnes et novitii, cum eorum domibus et ecclesiis ab Hierarchae loci potestate exempti sunt, praeterquam in casibus iure expressis; in territorio Ecclesiae patriarchalis iidem Patriarchae immediate subiciuntur, nisi agatur de Ordine qui exemptione pontificia fruatur; extra territoria Ecclesiae patriarchalis iidem subiciuntur immediate Sedi Apostolicae.

---

<sup>16</sup> Remissio fit ad canones 489-492 Litt. Ap. «Cleri sanctitati» in quibus etiam de paroeciis religiosis commissis agatur: de recognitione horum cfr. *Nuntia* 9, pag. 65, can. 4.

Can. 125 (PA 171-173)

Sodales Ordinum atque Congregationum stipem petere possunt dummodo Hierarcha cui Ordo vel Congregatio subicitur licentiam dederit atque accedat consensus scripto datus Hierarchae loci in quo eleemosynas colligere cupiunt.

Can. 126 (PA 164)

Privilegium stauropegii de quo in canone NN<sup>17</sup> nequit concedi domui Ordinis vel Congregationis.

*ART. VI - De transitu ad alium Ordinem vel Congregationem  
aut ad Monasterium sui iuris*

Can. 127 (PA 182-186)

§ 1. Sodalis nequit a proprio Ordine vel Congregatione ad alium Ordinem vel Congregationem aut ad Monasterium sui iuris transire nisi consentiente Superiore generali proprii Ordinis vel Congregationis et Superiore generali Ordinis vel Congregationis ad quem transire vult aut, si de transitu ad Monasteria agatur, Superiore Monasterii sui iuris; ad hunc consensum praestandum Superiores indigent suffragio deliberativo sui Consilii.

§ 2. Transiens novitiatum ex toto peragere debet nisi Superior generalis vel Superior Monasterii sui iuris, unusquisque de consensu sui Consilii, tempus novitiatus ob specialia adjuncta reducat, sed non infra sex menses; novitiatu durante, manentibus votis, iura et obligationes particulares quas sodalis in priore Ordine vel Congregatione habuit suspensa manent, et ipse obligatione tenetur Superioribus novi Ordinis vel Congregationis et novitiorum Magistro parendi etiam ratione voti oboedientiae.

§ 3. Qui momento transitus definitive professus fuit, post peractum novitiatum publice professionem suam confirmet iuxta formulam Ordinis vel Congregationis vel Monasterii ad quod transiit; qui vero definitive professus non fuit eodem modo temporaneam professionem renovet saltem per triennium duraturam, excepto casu quando totum triennium novitiatus in Monasterio sui iuris, ad quod transiit, peregerit.

§ 4. Si in Ordine, Congregatione vel Monasterio ad quod transiit professionem sodalis non confirmat, ad pristinum Ordinem vel Congregationem redire debet, nisi interim tempus professionis expiraverit.

<sup>17</sup> Remittitur ad can. 263 Litt. Ap. « Cleri sanctitati » alibi recognitum.

---

§ 5. Ad validitatem transitus ad Ordinem vel Congregationem vel Monasterium alterius ritus requiritur licentia Sedis Apostolicae.

ART. VII - *De egressu ex Ordine vel Congregatione*

Can. 128 (PA 111 et 187)

§ 1. Professus votorum temporiorum, expleto votorum tempore, libere potest Ordinem vel Congregationem deserere.

§ 2. Qui, perdurantibus votis temporariis, gravi de causa, Ordinem vel Congregationem derelinquere petit, a Superiore generali de consensu sui Consilii, consequi potest indultum definitive ab Ordine vel Congregatione discedendi.

Can. 129 (PA 190) .

§ 1. Sodalis definitive professus indultum discedendi ab Ordine vel Congregatione ne petat nisi ob gravissimas causas; petitionem suam deferat Superiori generali qui eam una cum voto sui Consilii ad Hierarcham de quo in § 2 transmittat.

§ 2. Nisi peculiaris facultas Superiori generali a Sede Apostolica vel, in Ordinibus aut Congregationibus iuris patriarchalis et iuris eparchialis, a Patriarca de consensu Synodi permanentis concessa fuerit, dispensatio a votis reservatur Hierarchae cui Ordo vel Congregatio immediate subiciuntur.

§ 3. Indultum discedendi, a die concessionis gratiae secumfert ipso iure solutionem a votis necnon ab omnibus obligationibus ex professione ortis, firmis canonibus 78 et 79.

Can. 130 (PA 195-196)

Sodalis qui a potestate Superiorum sese subducit, sollicite ab eisdem Superioribus quaeratur; quod si intra tempus a statutis praescriptum non tedierit, puniatur etiam expulsione ad normam canonum de dimissione.

ART. VIII - *De dimissione ab Ordine vel Congregatione*

Can. 131 (PA 187)

Professus votorum temporiorum, expleto votorum tempore, a Superiori maiore de consensu sui Consilii dimitti potest, si adsint iustae ac ratio-

nabiles causae, non tamen ratione infirmitatis nisi certo probetur eam ante professionem dolose fuisse silentio praeteritam aut dissimulatam.

Can. 132 (PA 199-201)

§ 1. Sodalis temporarie professus dimitti potest a Superiore generali de consensu sui Consilii, nisi in statutis dimissio reservetur Hierarchae loci vel Patriarchae.

§ 2. Ad dimissionem decernendam, praeter alias conditiones a statutis praescriptas, servari debent quae sequuntur.

1) Causae dimissionis, sive ex parte Ordinis vel Congregationis sive ex parte sodalis, debent esse graves.

2) Defectus spiritus religiosi, qui aliis scandalo sit, est sufficiens dimissionis causa, si repetita monitio una cum salutari poenitentia incassum cesserit; non vero infirmitas, nisi constet eam ante professionem dolose fuisse silentio praeteritam aut dissimulatam.

3) Superiori dimittenti causae dimissionis certo innotescere debent, et si necesse haud sit ut eadem formaliter comprobentur; at sodali semper manifestari debent, data ei plena respondendi facultate; eiusque responsiones Superiori dimittenti fideliter subiiciantur.

§ 3. Recursus contra dimissionis decretum effectum habet suspensivum.

Can. 133 (PA 202-219)

Dimissionem definitive professorum in Ordinibus et Congregationibus quod spectat observandi sunt canones 82-85 de monachis; decretum dimissionis fert Superior generalis cum consensu sui Consilii ad norman canonis 83 § 1; antequam decretum exsequatur indiget adprobatione Hierarchae cui Ordo vel Congregatio immediate subiciuntur.

Caput IV

DE SOCIETATIBUS VITAE COMMUNIS AD INSTAR RELIGIOSORUM  
SINE VOTIS PUBLICIS, VIVENTIUM

Can. 134 (PA 224)

§ 1. Communitas, sive virorum sive mulierum, in qua sodales vivendi rationem status religiosi imitantur sub regimine Superiorum secundum probata statuta, sed tribus votis publicis non obstringuntur, est Societas vitae com-

munis ad instar religiosorum, sed eius sodales nomine religiosorum non veniunt.

§ Huiusmodi Societates sunt *clericales* vel *laicales* ad normam canonis 86 § 3, iuris patriarchalis vel eparchialis vel pontificii ad normam canonis 4, et dependent ab ecclesiastica auctoritate ut Congregationes ad normam canonum 5, 6, 10.

Can. 135 (PA 225)

Circa erectionem et suppressionem Societatis eiusque provinciarum vel domorum, eadem valent quae de Congregationibus religiosis constituta sunt.

Can. 136 (PA 226)

Regimen determinatur in uniuscuiusque Societatis statutis, sed in omnibus applicentur, nisi rei natura obstet, praescripta canonum 87-97 de Congregationibus.

Can. 137 (PA 227)

§ 1. Societas eiusque provinciae et domus capaces sunt acquirendi et possidendi bona temporalia.

§ 2. Administratio bonorum regitur praescriptis canonum 14 et 98.

§ 3. Quidquid sodalibus obvenit intuitu Societatis, Societati acquiritur; cetera bona sodales secundum statuta retinent, acquirunt ac administrant.

Can. 138 (PA 228)

§ 1. In admittendis candidatis serventur statuta, salvo praescripto canonis 38.

§ 2. Quod attinet ad institutionem sodalium clericorum, eadem normae sequendae sunt ac pro clericis eparchialibus.

§ 3. Quod attinet ad ordinationem sodalium, Superiores maiores ad normam statutorum dare possunt litteras dimissorias ad ordines maiores post definitivam cooptationem, si hanc Societas habeat; elapso sexennio a prima cooptatione, si eam non habeat, firmo canone 118 § 2.

Can. 139 (PA 229, 230)

Sodales Societatis gaudent iuribus et tenentur obligationibus communibus clericorum, nisi ex natura rei vel ex textu contextuque legis aliud constet, firmis obligationibus ac iuribus in statutis determinatis.

Can. 140 (PA 231)

§ 1. Praeter propria uniuscuiusque Societatis statuta circa transitum ad aliam Societatem, vel ad Monasterium, Ordinem vel Congregationem requiritur consensus Superioris generalis Societatis a qua transitus fit.

§ 2. Sodalis qui transit ad Monasterium, Ordinem vel Congregationem, integrum novitiatum peragere debet et in omnibus ceteris novitiis Monasterii, Ordinis vel Congregationis aequiparatur.

§ 3. Fermo canone 82, sodalis definitive cooptatus dimittitur ad normam canonis 133, sodalis vero non definitive cooptatus ad normam canonis 132.

Caput V  
DE INSTITUTIS SAECULARIBUS

Can. 141

Instituta saecularia sunt Societas sive laicorum sive clericorum in quibus sodales:

1) ad totalem suiipsius Deo dedicationem per professionem trium consiliorum evangelicorum, aliquo sacro vinculo ab Ecclesia recognito firmatam, tendunt;

2) actuositatem apostolicam ad instar fermenti in saeculo et ex saeculo exercent ita ut omnia ad robur et incrementum Corporis Christi spiritu evangelico imbuantur;

3) vivendi rationem status religiosi non imitantur, sed vitam communionis inter se atque oboedientiae iuxta propria statuta agunt;

4) clerici vel laici, ad omnes effectus iuridicos quod attinet, unusquisque in proprio statu manet.

Can. 142

§ 1. Circa erectionem, suppressionem Institutorum Saecularium, eorumque statuta necnon dependentiam ab ecclesiastica auctoritate serventur canones 2, 4, 5, 6, 8, 10 sectionis de Christifidelium consociationibus<sup>18</sup>.

§ 2. Item servandus est canon 9 eiusdem sectionis quod spectat bona

<sup>18</sup> De his canonibus in primo schemate recognito cf. *Nuntia* 5, pag. 45-47.

temporalia horum Institutorum acquirenda, possidenda ac administranda, in alienationibus bonorum vero servandus est canon NN<sup>19</sup>.

### Can. 143


Sodalis definitive Instituto saeculari cooptatus dimittitur decreto ad normam statutorum dato, quod executioni mandari nequit nisi fuerit a Hierarcha loci vel a superiore auctoritate ecclesiastica probatum; eiusdem Hierarchae est, quatenus opus sit, a sacro ligamine ad Ecclesia probato, dispensare.

### INDEX SCHEMATICIS

Praenotanda . . . . .	paginae	3-14
Caput I . . . . .	cann.	1-2
Art. I . . . . .		
<i>- De Monachis ceterisque Religiosis in genere</i> . . . . .		
Art. II . . . . .		
<i>De dependentia Monasteriorum, Ordinum vel Congregationum ab auctoritate Episcoporum, Patriarcharum, Sedis Apostolicae</i> . . . . .	»	3-8
<i>De Superioribus ac sodalibus Monasteriorum, Ordinum et Congregationum</i> . . . . .	»	9-20
Caput II . . . . .		
Art. I . . . . .		
<i>De erectione et suppressione Monasteriorum sui iuris</i> . . . . .	»	21-22
Art. II . . . . .		
<i>De Monasteriorum Superioribus et Synaxis, confessariis et oeconomis</i> . . . . .	»	23-28
Art. III . . . . .		
<i>De admissione in Monasteria et novitiatu</i> . . . . .	»	29-35
Art. IV . . . . .		
<i>De professione monastica</i> . . . . .	»	36-49
Art. V . . . . .		
<i>De institutione et disciplina in Monasteriis servanda</i> . . . . .	»	50-58
Art. VI . . . . .		
<i>De eremitis</i> . . . . .	»	59-67
Art. VII . . . . .		
<i>De privilegio stauropegii</i> . . . . .	»	68-72
Art. VIII . . . . .		
<i>De transitu ad aliud Monasterium</i> . . . . .	»	73
Art. IX . . . . .		
<i>De egressu e Monasterio</i> . . . . .	»	74-75
Art. X . . . . .		
<i>De dimissione monachorum</i> . . . . .	»	76-81
		82-85

<sup>19</sup> Remissio fit ad canonem 281 Litt. Ap. « Postquam Apostolicis Litteris » in schemate « De bonis temporalibus » opportune recognitum.

<b>Caput III</b>	<i>- De Ordinibus et Congregationibus . . . . .</i>	»	86
Art. I	De erectione et suppressione Ordinis, Congregationis, provinciae, domus . . . . .	»	87-92
Art. II	De Superioribus et Synaxibus in Ordinibus et Congregationibus . . . . .	»	93-98
Art. III	De admissione in Ordines et Congregations atque novitiatu . . . . .	»	99-107
Art. IV	De professione in Ordinibus et Congregationibus . . . . .	»	108-115
Art. V	De institutione et de disciplina in Ordinibus et Congregationibus servanda . . . . .	»	116-126
Art. VI	De transitu ad alium Ordinem vel Congregationem aut ad Monasterium sui juris . . . . .	»	127
Art. VII	De egressu ex Ordine vel Congregatione . . . . .	»	128-130
Art. VIII	De dimissione ab Ordine vel Congregatione . . . . .	»	131-133
<b>Caput IV</b>	<i>- De Societatibus vitae communis ad instar religiosorum sine votis publicis, viventium . . . . .</i>	»	134-140
<b>Caput V</b>	<i>- De Institutis saecularibus . . . . .</i>	»	141-143



---

## THE SCHEMA *DE MAGISTERIO ECCLESIASTICO* - Part 2

As already announced in *Nuntia* 10 (cfr. p. 82), with the present article we intend to continue and complete our report on the work done by the Study Group *De Magisterio Ecclesiastico*, which held its final session from 26 November to 7 December 1979. What is presented here is the work done by the above mentioned Study Group and not the new Schema on Ecclesiastical Magisterium; for not all the following subjects are proposed to be included in the future code under the title *De Magisterio Ecclesiastico*. Our report contains five topics: 1) *De evangelizatione gentium*; 2) *De catechetica institutione*; 3) *De educatione christiana*; 4) *De baptizatis non-catholicis ad plenitudinem catholicam convenientibus*; 5) *De oecumenismo*. In a concluding note we shall indicate where and how these various subjects are to fit in.

The *Coetus Centralis*, which met in April 1980, introduced a few amendments into the draft canons. We have incorporated these changes into the text, but where the modification is significant enough we shall indicate also the original text proposed by the *Coetus de Magisterio Ecclesiastico* (CME).

### I. - *De evangelizatione gentium*

The discussion in the CME as to the choice of an apt title settled on the present one as best echoing the command of Jesus Christ to proclaim the good news to all peoples and make them his disciples through baptism and a life according to his commandments (cfr. Mc 16: 15, 16; Mt 28: 19, 20). The same perspective has been retained also in the new nomenclature of the Roman Congregations «*Sacra Congregatio pro gentium evangelizatione seu de Propaganda Fide*», stemming from the post-conciliar reform of the Roman Curia (cfr. Paul VI, *Regimini Ecclesiae*, n. 81). The pressing need to preach the gospel anew to de-christianized peoples has been underlined by Pope Paul VI's Apostolic Exhortation *Evangelii Nuntiandi*, which uses the term evangelization to include not only the proclamation of the gospel to non-Christians (*ad extra*) but also to Christians (*ad intra*); but these two activities of the Church are conceptually and traditionally distinct. The present schema deals with the former, but to avoid all ambiguity adds *gentium* after *evangelizatio*.

The chief sources of our schema are the conciliar decree *Ad Gentes* (AG), the Apostolic Exhortation *Evangelii Nuntiandi* (EN), and the Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae III* (ES). Our schema presupposes cc. 62-64 of the project *Lex Ecclesiae Fundamentalis* (LEF). The first canon is based on *Lumen Gentium* 17, 33, AG 2, 5, 6, 35, 36, and EN 59 (cfr. LEF c 11); and the second canon refers to AG 9, 19, EN 63 and ES 18, 20. In its original draft, this canon contained the term *inculturatio*, but this was generally felt to be a neologism and dropped in favour of a periphrasis seeking to express the same idea. In the light of AG 6, 17 and 19, canon 3 speaks of the maturing of the Christian communities issuing from evangelization. A suggestion to speak here also of their right to grow from missions to churches with their own proper ecclesial structures and hierarchy was turned down in the Group. In canon 4 § 1, « Ecclesiarum Particularium » of CME was replaced in the *Coetus Centralis* by « Omnim Ecclesiarum »; for § 2, cfr. AG 38 and ES 9; for § 3, also ES 4; and for § 4, cfr. AG 39 and 41. Canon 5 takes note of the initial text cc. 1 and 8 (cfr. *Nuntia 3*, pp. 76ss) as well as AG 13 and LEF 4. Canon 6 refers to AG 14 and to LEF 8 § 3, but cfr. also the ancient canons like Constantinople I c. 7 and Neocesarea c. 5 as well as the Byzantine euchologia (Coislin 130 v, Bessarion 102 r, Goar 700). For canon 7 § 1, see initial text c. 11, and for canon 8, cfr. AG 24. Canon 9 refers to AG 15 and 17; canon 10 to AG 40 and ES 18; and canon 11 to AG 20.

Thematically, the 12 canons of the present schema comprise the universal obligation of evangelization springing from the very missionary nature of the Church (c. 1), the scope and modality of evangelization (cc. 2-3), evangelization in preparation and execution (4-5), catechumenate (6-7), missionary personnel (8-9), missionary activity and cooperation (10-11) and the canonical notion of mission territory (12).

A slight majority of Consultors (5 for, 2 against, 2 abstentions) felt that starting from this schema (cfr. c. 3), the question had to be further pursued regarding the juridical right of Christian communities as such (as distinct from individuals) to grow into the fullness of *Ecclesiae Particulares* in the sense of the Conciliar decree *Orientalium Ecclesiarum*, n 2.

#### Can. 1

*Christi mandato omnes gentes evangelizandi obsequens, et Spiritus Sancti gratia caritateque mota Ecclesia sese totam missionarium agnoscit; et proinde omnibus christifidelibus praesertim vero Ecclesiae Pastoribus onus*

*incumbit adlaborandi ut Dei Patris per Christum salutis propositum ad universos homines ubique terrarum magis magisque pertingat.*

Can. 2

*Activitas gentes evangelizandi ita fiat ut, integra manente regula fidei et morum, Evangelium sese in culturis cuiusque populi exprimere possit, in catechesi scilicet, in elocutionibus theologicis, in ritibus propriis liturgicis, in arte sacra, in jure particulari ac demum in tota vita ecclesiali.*

Can. 3

*In activitate missionali curandum est, ut novellae Ecclesiae quamprimum maturae fiant et ita, sub ductu propriae Hierarchiae, sibimetipsis providere et opus evangelizandi assumere atque continuare possint.*

Can. 4

*§ 1. Omnium Ecclesiarum est curare ut per praecones jugiter praeparatos et legitime missos Evangelium praedicetur in universum mundum, sub moderamine Romani Pontificis.*

*§ 2. Synodo Episcoporum vel Consilio Hierarcharum adsit Commissio ad omnium eparchiarum efficaciorem collaborationem provehendam in activitate Ecclesiae missionali.*

*§ 3. In singulis eparchiis sacerdos deputetur ad incepta pro missionibus efficaciter promovenda.*

*§ 4. Christifideles cognitionem et amorem missionum in seipsis et in aliis foveant, pro eis orent atque vocationes excitant easque necessariis subsidiis liberaliter sustineant.*

Can. 5

*§ 1. Nefas est ut quis ad Ecclesiam amplectendam cogatur vel artibus importunis inducatur aut alliciatur; Hierarchae curent ut vindicetur ius Ecclesiae ne ullus iniquis vexationibus ab ipsa deterreatur.*

*§ 2. Minores quattuordecim annorum etiam sponte sua petentes ne recipiantur in Ecclesiam nisi cum parentum consensu.*

Can. 6

*§ 1. Qui sese Ecclesiae coniungere volunt speciali rito liturgico admittantur ad catechumenatum, qui debet esse vitae christianaee institutio ac tirocinium testimonii christiani.*

§ 2. Qui catechumenatui adscripti sunt ius habent ut admittantur ad liturgiam verbi in ecclesiis celebratam.

§ 3. Juris particularis est statum juridicum catechumenorum pressius definire.

Can. 7

§ 1. Admissio catechumenorum ad baptismum spectat ad parochum, vel ad presbyterum bac facultate pollentem, nisi jure particulari Hierarchae loci reservata sit.

§ 2. Integrum est catechumenis adscribi Ecclesiae cuiusvis ritus ad normam can. 12 de Ritibus; caveatur tamen ne quidquam ipsis suadeatur quo obstarere possit eorundem adscriptioni Ecclesiae quae eorum culturae magis consentanea sit.

Can. 8

Missionarii, sive exteri sive autoctoni, scilicet qui ad opus missionale a legitima auctoritate ecclesiastica mittuntur, sint congrua naturali indole praediti et dotibus et ingenio idonei; sintque apte instituti in missiologia et in spiritualitate missionaria necnon instructi in historia et cultura populorum qui evangelizandi sunt.

Can. 9

Missionarii sedulo current ut:

1) ad sacra ministeria vocaciones inter neophytes promoveantur et candidati rite formentur ita ut novellae Ecclesiae cum proprio clero in eparchias quamprimum erigi possint;

2) catechistae ita instituantur ut tamquam validi cooperatores ordinis sacerdotalis munus suum in evangelizatione necnon in actione liturgica quam optime exsequi valeant; pro eorum justo honorario in jure particulari provideatur.

Can. 10

§ 1. In territoriis missionum, aptae formae laicorum apostolatus foveantur; vita monastica et religiosa cujusque gentis ingenio et indoli concors excollatur; scholae et alia hujusmodi educationis christiana et progressus culturalis instituta, ut opus est, constituantur.

§ 2. Dialogus cum non-christianis excultis sedulo foveatur.

Can. 11

§ 1. Omnes presbyteri in territoriis missionum operam praestantes, sive autoctoni sive non, utpote unum presbyterium efformantes, ardenter in evangelizatione cooperentur.

§ 2. *Ipsi cum aliis missionariis christianis libenter collaborent ad normam*  
can. 7 De oecumenismo.

Can. 12

*Nomine territoriorum missionum in hoc Codice nuncupantur territoria  
quae a Sede Apostolica ut talia agnita sunt.*

## II. - *De catechetica institutione*

This schema relies heavily on Pope John Paul II's Apostolic Exhortation « Catechesi Tradendae » (CT) of October 1979, which gathers together the results of the Synod of Bishops on catechesis held in 1977. Following CT, reference is made also occasionally to the *Directorium Catechisticum Generale* (DCG) of the S. Congregation for the Clergy (1971). In the light of these documents, the « *textus initialis* » (cfr. *Nuntia 3*, pp. 72-73) may be said to have been revised rather globally.

The present schema on catechetical formation and the following one on Christian education complete each other and have to be taken together. A comparison with cc. 1, 3, 9, 10, 11, of the latter schema brings out this complementary character.

The following source indication may be useful. For canon 1, cfr. CT 14, 18 and 19; for canon 2, CT 24 and 67; for canon 3, CT 70; for canon 4, DCG 103 and 117; for canon 5, DCG 128. The initial text c. 8 and CT 16 apply to canon 6 § 1, while § 2 has its basis in DCG 126. This canon gives the general norm, leaving to canon 7 a particular application as regards catechesis in schools (cfr. also the following schema *De educatione christiana*, c. 10). With canon 8 may be read the initial text cc. 2, 5 § 2 and 6, and for the reference in § 2, see the schema *De monachis* c. 124 in *Nuntia 8*, p. 60. Canon 9 relies on CT 32 and 33; canon 10 on CT 34 and canon 11 on DCG 76 and CT 53. This last canon relates catechesis to inculturation, without however using this last term, which was dropped from the Relator's draft for fear of introducing a neologism (cfr. also *De evang. gent.* c. 2 above). Note that CT 53 expresses the same idea using « *vocabulum Gallicum acculturation vel inculturation* », while the Synod of Bishops in their 1977 « Message to the People of God » (n. 5) uses the Latin *inculturatio*. With « *culturae exigentiis respondentem* » however our canon tries to express the idea contained herein.

In the *Coetus Centralis* no real modification was introduced in the schema as proposed by the CME.

Can. 1

*Ecclesiae universae, praesertim vero ipsius Pastoribus est sacrum officium catecheseos tradendae, qua fides a prima Evangelii annuntiatione orta ad maturitatem adducatur et formetur Christi discipulus per cognitionem profundiorem et magis ordinatam doctrinae Christi atque ipsius Personae adhaesione in dies intimiores.*

Can. 2

*Praeter familiam christianam, ipsa paroecia atque communitas ecclesiastica cuiusvis ordinis curare debent membrorum suorum institutionem catechisticaam atque eorum integrationem in ipsam communiteatem, illas praebendo condiciones in quibus ea quae didicerint quam plenissime vivere possint.*

Can. 3

*Consociationes et motus et circuli fidelium sive ad pietatis usum et apostolatum directum sive ad officia caritatis et adiumenti intendantur, formationem religiosam sodalium suorum curent sub ductu Hierarcharum locorum.*

Can. 4

*§ 1. Synodo Episcoporum vel Consilio Hierarcharum competit pro territorio sua Ecclesiae normas de catechistica institutione statuere, servatis iis quae a supra Ecclesiae Auctoritate praescripta sunt.*

*§ 2. Eidem Auctoritati est curare ut post elaboratum Directorium Catechisticum Particulare, catechismi ad varios coetus fidelium accomodati simul cum subsidiis ac instrumentis provideantur, necnon varia incepta catechistica provehantur atque inter se componantur.*

Can. 5

*§ 1. In quavis Ecclesia Particulari adsit Commissio de re catechistica, quae quantum fieri potest cum aliis Ecclesiis ejusdem territorii vel regionis socio-culturalis erigi potest.*

*§ 2. Ipsi praesto sit etiam Officium seu Centrum Catechisticum, cuius est subsidio esse ipsis Ecclesiis ad munera sua catechistica coordinate et efficacius absolvenda, atque inservire catechistarum formationi etiam permanenti.*

Can. 6

*§ 1. Hierarchae loci est institutionem catechisticam in sua eparchia, summa cum sollicitudine, provehere, dirigere atque moderari.*

§ 2. Ad quem finem adsit Curiae eparchiali Officium Catechisticum Eparchiale.

Can. 7

*Institutio catechistica in scholis quibuslibet Hierarchae loci auctoritati et vigilantiae subjecta manet, proinde ipsius est magistris institutionis catechisticae mandatum conferre vel auferre.*

Can. 8

§ 1. Parochus summa ope niti debet, attentis normis a competenti auctoritate statutis, catechesi tradendae omnibus suae pastorali curae commissis, sive pueris sive adolescentibus ac juvenibus sive adultis.

§ 2. Parochis adjutricem operam praestare tenentur Presbyteri et diaconi; sodales autem Institutorum vitae consecratae, etiam exemptorum, ad normam can. 124 schematis De Monachis.

§ 3. Alii quoque christifideles, rite formati libenter sese ad catecheseos tradendae operam devoveant.

Can. 9

*Rationem oecumenicam habeat oportet catechesis, rectam imaginem aliarum Ecclesiarum atque communictatum ecclesialium praebendo; curandum tamen omnino est ut in tuto ponatur recta ratio catecheseos catholicae.*

Can. 10

*In scholis ubi docetur de variis religionibus, inclusis diversis confessiōnibus christianis inter quas Ecclesia Catholica, supplenda est instructio religionis christianaē alumnis catholicis tradita ope verae formationis catechisticae.*

Can. 11

*Meminerint omnes qui catechesi tradendae inserviunt se Ecclesiae vices agere et ad Dei verbum revelatum, non proprium, communicandum missos esse, et proinde doctrinam Ecclesiae integrum, catechizandis quidem accommodatam eorumque culturae exigentiū respondentem, proponant.*

---

### III. *De educatione christiana*

Taking the cue from the conciliar document *Gravissimum educationis* (GE), the CME changed the title «*De scholis*» of the initial text (fr. *Nuntia* 3, p. 85-87) into *De educatione christiana*, thus recognizing that the school is but one, though privileged, means of education (GE 5).

After five preliminary canons on Christian education in general the schema is divided into three Articles: 1) *De scholis Catholicis*, 2) *De Catholicis Studiorum Universitatibus*, 3) *De Studiorum Universitatibus et Facultatibus Ecclesiasticis*. Though *schola* in Latin could stand for any institution of elementary, secondary or higher education (as it does in fact in the initial text title), in our schema Article I, the term is restricted to the first two levels of education, and treated as in S. Congregation for Catholic Education, «*La Scuola Cattolica*» (in *L'Osservatore Romano*, 6 July 1977, pp. 3-4). Articles II and III are also distinguished from each other following Pope John Paul II's Apostolic Constitution *Sapientia Christiana* (SC), dealing with Ecclesiastical Universities and Faculties.

Canons 1, 2 and 3 of the *Preliminary Canons* presuppose and take off from LEF c. 17 in the light of GE 2, 3 and 6. Canon 4 leans on GE 1 to set the true goal of education. Canon 5 § 1 points out the common responsibility of all in a view stretching beyond the frontiers of the Church (GE 1, 10), while § 2 and § 3 underline the special responsibility of Catholics regarding the initiatives of the Church in the field of education (GE 1 and 8). The Church's right to establish educational institutions is articulated in LEF c. 65.

In *Article I*, the following references to sources may be useful. For canon 6, cfr. GE 5; for canon 7, see LEF c. 16. Canon 8 is as it were the completion of can. 2 § 3 and of canon 7. GE 8 and 9 have inspired canons 9 and 10, while canon 11 relates to the initial text c. 12. The last canon 12 is based on GE 8 and 12, but was passed in CME not without some reserve: the voting was 6-2-2.

The next *Article II* on Catholic Universities has six canons. First the scope of Catholic Universities is defined in canon 13 § 1 following GE 10, and other equivalent institutions are recognised in § 2. For canons 14, 16 and 18, see GE 10 and for canon 15 see the general norm of LEF c. 16 (cfr. also canon 7 above). Canon 15 § 2 was passed with some resistance in CME (7-3-0), as a minority wished to leave greater autonomy at least to the Patriarchal Churches.

For *Article III* on Ecclesiastical Universities and Faculties, the only source referred to is *Sapientia Christiana*. Canon 19 is based on SC Proe-

mium III and Art. 2; canon 20 on SC 3; canon 21 § 1 on SC 2 and 21 § 2 on SC 8. Canon 22 leans on SC 5, 6, 9, 62 and 63, while canon 23 points to the SC 7 and Appendix. In canon 27, for § 1 may be cited SC 22, for § 2 SC 25, for § 3 SC 27 § 1, for § 4 SC 27 § 2. The reference in canon 25 § 1 is to SC 31, in § 2 to SC 32 § 1. Canon 26 corresponds verbatim to SC 40. Canon 27 is modelled on SC 72, 76 and 81. And finally, canon 28 gathers together the norms contained in SC 47, 48 and 50 § 1, though with an unintentional variation. According to SC 46 and 47, *Baccalaureatus* for example is not strictly necessary (« *conferri potest* »); but this freedom left to Faculties is effectively denied by canon 28 § 1, though the CME did not mean to abridge the flexibility offered by the *Sapientia Christiana*.

A total of 28 canons on Christian education is surely an appreciable increase on the 12 canons of the initial text. Indeed a doubt was raised in the CME itself if it was wise to codify so many norms on higher education. Note however that the schema does not descend into as many details in the Article on Catholic Universities as it does in the Article on Ecclesiastical Universities. For these latter in the Orient it was generally felt useful to formulate into canons the more basic norms of *Sapientia Christiana*.

Finally a word about the title. A change into *De educatione Catholica* was suggested, but the CME took it that such a change from the conciliar terminology *De educatione christiana* would generally be felt in the Orient to be an unnecessary confessional accent. In any case the use of *schola Catholica* allows for no misunderstanding as to the contents of the Christian education.

#### Can. 1

*Christifideles, quippe qui jus ad educationem christianam habeant, eam formationem personae christianaee prosequantur qua, ultra educationem omni homini communem, ad novae creaturae plenitudinem in Christo pertingendam contendatur.*

#### Can. 2

§ 1. *Cura prolis educandae imprimis spectat ad parentes vel ad eorum locum tenentes. Quare eorundem est in familiae christianaee ambitu, fide illuminato atque amore mutuo animato, filios educare praesertim ad pietatem erga Deum et dilectionem proximi.*

§ 2. *Ubi propriae vires trascenduntur, ipsorum quoque est, ad integræ filiorum educationi consulendum, aliis partem in munere educationis concredere necnon eligere instrumenta educationis necessaria vel utilia.*

---

§ 3. Ipsi in iisdem instrumentis eligendis justa libertate gaudeant oportet, firmo can. 8, quare operam dent christifideles ut, ubi id desideretur, hoc jus a societate civili agnoscat.

Can. 3

§ 1. Ecclesiae, cum Deo novas creaturas per baptismum generaverit, est simul cum parentibus earumdem educationem christianam curare.

§ 2. Omnes, quibus cura animarum commissa est, debent auxilio esse parentibus ad prolem educandam, eosdem proprii officii et juris consciens reddere, et educationis religiosae praesertim juventutis providere.

Can. 4

Curent omnes educatores ut attendatur integrae personae humanae formationi ita ut, dotibus physicis, intellectualibus, et moralibus harmonice ex cultis, pueri et iuvenes conformentur ad Deum perfectius cognoscendum et diligendum, ad valores humanos et morales recta conscientia aestimandos et vera libertate amplectendos, et simul exculto sensu justitiae et responsabilitatis socialis ad fraternalm cum aliis consortionem prosequendam.

Can. 5

§ 1. Magno animo operam praestent christifideles ut congrua educationis et instructionis beneficia ad omnes ubique terrarum citius extendi possint, speciali cura habita illorum qui sunt tenuioris fortunae.

§ 2. Faveant omnes christifideles inceptis Ecclesiae ad educationem prorvehendam aptis, praecipue ad scholas erigendas, dirigendas et sustinendas.

§ 3. Parentes filios in scholas Catholicas, ceteris paribus, mittendos curent.

ART. I - De Scholis Catholicis

Can. 6

Inter varia educationis instrumenta peculiari cura fovenda est schola Catholica in quam convergat oportet sollicitudo parentum, magistrorum nec non communitatis ecclesiialis.

Can. 7

Schola in jure non reputatur Catholica nisi erecta a Hierarcha loci vel superiori auctoritate ecclesiastica aut ab iisdem ut talis adprobata.

---

### Can. 8

*Hierarchae loci competit de scholis quibuslibet authentice judicare utrum exigentiis educationis christianaes respondeant annon; item eidem competit ob graviorem rationem frequentiam alicujus scholae christifidelibus prohibere.*

### Can. 9

*§ 1. Scholae Catholicae est officium proprium communitatis scholaris ambitum, spiritu evangelico libertatis et caritatis animatum creare, adolescentes adjuvare ut in propria persona evolvenda una simul crescant secundum novam creaturam quae per baptismum effecti sunt, atque universam culturam humanam ad nuntium salutis ordinare ita ut cognitio quam alumni de mundo, vita et homine gradatim acquirunt, fide illuminetur.*

*§ 2. Si schola Catholica, praesertim in territoriis missionum plurimum ab alumnis non catholicis frequentatur, ipsius scholae est ea de quibus in § 1, moderante competente Ecclesiae auctoritate, adjunctis propriis accommodare.*

*§ 3. Scholae Catholicae est non minus quam aliae scholae fines culturales et humanam juvenum formationem prosequi.*

### Can. 10

*Hierarchae loci praecipue est curare ut condantur scholae Catholicae praesertim ubi scholae omnino desunt aut si quae praesto sint non adaequatae sunt, in specie scholae profesionales et technicae quatenus pro loci et temporis adjunctis peculiariter ratione requirantur.*

### Can. 11

*§ 1. Hierarchae loci competit jus visitandi scholas Catholicas sui territorii non exceptis scholis sodalium quorumlibet Institutorum vitae consecratae, nisi agatur de regimine interno scholarum pro solis sodalibus Instituti a potestate ipsius Hierarchae exempti.*

*§ 2. Ubi sunt plures Hierarchae loci, jus visitandi competit illi Hierarchae, qui scholam fundavit vel adprobavit, nisi aliter statutum sit aut a lege foundationis aut conventione speciali inter eosdem Hierarchas inita.*

### Can. 12

*Magistri cum maxime sint auctores ut schola Catholica sua proposita et incepta ad rem deducere valeat, debent esse vitae testimonio exemplares et sociam imprimis cum parentibus sed et cum aliis scholis praestent operam.*

---

---

## ART. II - De Catholicis Studiorum Universitatibus

### Can. 13

§ 1. *Catholica Studiorum Universitas hunc finem prosequitur ut veluti publica, stabilis atque universalis praesentia efficiatur mentis christiana in toto culturae altiori promovendae studio; ideoque constituit investigationis, reflectionis et instructionis superioris ordinis institutionem, in qua evangelii luce multifaria cognitio humana illustretur.*

§ 2. *Aliae superioris ordinis Scholae seu Instituta vel Facultates catholicae autonomae quae eundem finem prosequuntur catholicae Studiorum Universitati in jure aequiparantur, non autem Studiorum Universitates et Facultates Ecclesiasticae, de quibus in capite III.*

### Can. 14

*In Catholicis Studiorum Universitatibus singulae disciplinae propriis principiis propria methodo atque propria inquisitionis scientificae libertate ita excolantur, ut profundior in dies earum intelligentia obtineatur et, novis progredientis aetatis quaestionibus ac investigationibus accuratissime consideratis, altius perspiciatur quomodo fides et ratio in unum verum conspirent atque formentur homines doctrina vere praestantes gravioribus officiis in societate obeundis parati atque fidei in mundo testes.*

### Can. 15

§ 1. *Catholica Studiorum Universitas nuncupatur atheneum, quod ut talis erectum aut adprobatum est sive a superiore auctoritate Ecclesiae sui iuris sive a suprema Ecclesiae universalis auctoritate; de quo constare debet publico documento.*

§ 2. *Superior auctoritas de qua in § 1 intra fines territorii cuiusque Ecclesiae sui iuris est, consulta Sede Apostolica, respective Patriarcha de consensu Synodi Episcoporum vel Metropolita de consensu Consilii Hierarcharum.*

### Can. 16

*In Universitatibus Catholicis in quibus nulla Facultas Sacrae Theologiae extet aliquod Institutum habeatur in quo lectiones sacrae theologiae studenter accommodatae tradantur.*

### Can. 17

*Docentes sacrae theologiae in Universitatibus Catholicis muniti esse debent mandato Auctoritatis Ecclesiasticae deputatae ab iis de quibus in can. 15.*

---

### Can. 18

*Ecclesiae Pastorum est providere, inter se consiliis opportune collatis, ut etiam apud Universitates non Catholicas convictus et centra universitaria Catholica habeantur, in quibus sacerdotes, religiosi et laici, accurate selecti et praeparati, juventuti universitariae spirituale et intellectuale adjutorium praebant permanens.*

## ART. III - De Studiorum Universitatibus et Facultatibus Ecclesiasticis

### Can. 19

*Assidue provehendae sunt praesertim ab Ecclesiae Pastoribus Studiorum Universitates et Facultates Ecclesiasticae, eae nempe quae de christiana Revelatione et de iis cum ipsa connexis speciatim agunt, ac propterea cum evangelizandi munere Ecclesiae arctius conjunguntur.*

### Can. 20

*Studiorum Universitas Ecclesiastica, pro fine habet:*

*1º Christianam Revelationem et ea quae cum ipsa coniuncta sunt profundius et scientifice investigare, ejus veritates systematice enucleare ac ordinare, novas progradientis aetatis quaestiones in ejus luce considerare et coaevis hominibus in propria cultura accommodata ratione exhibere;*

*2º Studentes in variis disciplinis secundum doctrinam catholicam altius instituere, eosque ad diversa munera apostolatus, ministerii, vel magisterii in iisdem disciplinis congrue praeparare, atque formationem continuam seu permanentem promovere.*

### Can. 21

*§ 1. Universitates et Facultates Ecclesiasticae hoc in codice eae dicuntur quae a competenti auctoritate ecclesiastica canonice erectae vel approbatae, sacram doctrinam et scientias cum ipsa connexas excolunt et tradunt, cum jure conferendi gradus academicos qui effectum canonicum habent.*

*§ 2. Quae de Universitatibus Ecclesiasticis statuta sunt in canonibus qui sequuntur valent etiam, nisi aliud constet, de Facultatibus Ecclesiasticis sive a se stantibus sive in Universitatibus non ecclesiasticis extantibus.*

Can. 22

§ 1. In Ecclesia sui iuris auctoritas ecclesiastica competens ad canonice erigendam vel approbandam Universitatem Ecclesiasticam est ea de qua in can. 15 § 2; eidem auctoritati quoque est efficere affiliationem, aggregationem vel incorporationem alicuius Instituti studiorum superiorum ecclesiasticorum.

§ 2. Ut autem gradus academicci effectus canonicos habeant etiam pro universa Ecclesia Catholica requiritur facultas a Sede Apostolica data.

Can. 23

§ 1. Quaelibet Universitas Ecclesiastica propria Statuta habeat, approbata ab auctoritate ecclesiastica a qua ipsa Universitas erecta vel approbata fuit.

§ 2. In statutis determinentur imprimis competentia Universitatis auctoratum sive personalium, sicut Magni Cancellarii, Rectoris Universitatis vel Praesidis Facultatis et Decani, sive collegialum seu consiliorum; eorum atque officialium nomina et duratio in officio; docentium seu professorum cooptatio et promotio, officia et jura, cessatio a munere; requisita ad alumnum seu studentium adscriptionem eorumque officia et jura; ratio studiorum, examina et gradus academicci; subsidia didactica; res oeconomica complectens etiam normas circa honoraria pro auctoritatibus, officialibus, et docentibus, necnon studentium tributa.

Can. 24

§ 1. In unaquaque Facultate numerus docentium imprimis stabilium habetur, qui ponderi et incremento disciplinarum necnon debitae curae et profectui studentium respondeant.

§ 2. Docentes stabiles sint doctoratu congruenti vel aequipollenti titulo insigniti aut prorsus singularibus meritis scientificis praediti.

§ 3. Qui ad disciplinas sacras docendas cooptantur missionem canoncam a Magno Cancellario accipere debent, alii vero docentes eiusdem vel ejus delegati veniam docendi.

§ 4. In Universitate a Sede Apostolica erecta vel approbata, docentes, antequam muneris stabilis collationem accipiant vel antequam ad supremum ordinem didacticum promoteantur, vel in utroque casu, prout in Statutis definitur, declaratione Nihil obstat ejusdem Sedis Apostolicae indigent.

---

### Can. 25

§ 1. *Facultates omnibus pateant qui, legitimo testimonio praediti, vitae moribus ac studiis praeviis idonei sint ut adscribantur.*

§ 2. *Ut quis Facultati ad gradus academicos consequendos adscribi possit, afferre debet studiorum titulum, qui necessarius sit ad admissionem in Universitatem civilem propriae regionis vel nationis, in qua sit Facultas.*

### Can. 26

*In qualibet Facultate studiorum curriculum rite ordinetur per varios gressus seu cyclos, aptandos prout materia postulet, ita ut communiter:*

*a) imprimis generalis institutio tradatur, cohaerente omnium disciplinarum expositione, una cum introductione in usum methodi scientificae;*

*b) dein in aliqua disciplinarum sectione studium profundius institutatur, ac simul usu scientificae investigationis methodi plenius exerceantur studentes;*

*c) tandem ad scientificam maturitatem progressus fiat, praesertim per opus scriptum, quod ad scientiae projectum vere conferat.*

### Can. 27

§ 1. *Nisi aliter in statutis Universitatis de consensu Sedis Apostolicae provisum sit, cycli studiorum ut sequitur disponendi sunt:*

*1º In Facultate sacrae Theologiae primus cyclus triennio seu sex semestria durare debet, vel, si biennium philosophicum non fuit antea absolutum, per quinquennium seu decem semestria; secundus cyclus per biennium seu quatuor semestria; tertius cyclus per congruum tempus.*

*2º In Facultate philosophica primus cyclus protrahendus est per biennium seu quattuor semestria, item secundus cyclus; tertius autem per congruum tempus.*

*3º In Facultate Iuris canonici primus cyclus saltem per annum seu duo semestria protrahendus est, secundus cyclus per biennium seu quattuor semestria, tertius vero saltem per annum seu duo semestria.*

*4º In ceteris Facultatibus cursus ante Licentiam protrahendi sunt saltem per tres annos seu sex semestria.*

§ 2. *Cursus in alia Universitate peractos Facultas pro suis cursibus agnoscere potest; cursus vero in aliis Institutis Studiorum Superiorum peractos tantum pro primo cyclo.*

---

## Can. 28

§ 1. *Primus cyclus concluditur gradu academico Baccalaureatus, secundus cyclus Licentia, tertius Doctoratu.*

§ 2. *Gradus academici aliis quoque nominibus graduum aequipollentium in Statutis definiri possunt, ratione habita praxis aliarum universitatum ejusdem spatii culturalis.*

§ 3. *Doctoratus aliquem habilem reddit ad docendum in Facultate Ecclesiastica, Licentia vero in Seminario majore vel aequipollenti schola.*

## IV. *De Oecumenismo*

In its concluding paragraph of the decree on the Oriental Churches, the Second Vatican Council stated: « Hae omnes iuris dispositiones pro praesentibus conditionibus statuuntur, usquedum Ecclesia Catholica et Ecclesiae Orientales seiunctae ad plenitudinem communionis convenient » (*Orientalium Ecclesiarum* (OE), 30). In the same perspective the more important conciliar and post-conciliar norms for the promotion of Christian unity in this transitional period have been gathered under the title *De Oecumenismo*, a schema for which the adage « cessante fine, cessat lex » will surely apply.

The sources most frequently quoted in this schema are besides Vatican II's OE, *Unitatis Redintegratio* (UR), and the Secretariate for Christian Unity's Ecumenical Directory (ED): *Ad totam Ecclesiam* (14 May 1967) and *Spiritus Domini* (16 April 1970).

While the first canon speaks of the ecumenical duty of all the faithful (cfr. UR 1, 2, 4, 5, 24; OE 30 ED passim), canon 2 deals in particular with the special role and responsibility of the Oriental Catholic Churches in as much as they are « Ecclesiae Orientales, communionem cum Sede Apostolica Romana habentes » (OE 24). The bishop has a special duty in this regard, for which reference may be made to the schema *De Episcopis* (cfr. *Nuntia* 9, p. 17, c. 16 § 2).

In the following canons the schema becomes more specific. Canon 3 § 1 indicates the competence of the Hierarchical Structures (ED 2, 7, 65) and § 2 and § 3 deal with their auxiliary organs (ED 3). A word of caution is given in canon 4 (ED 2) and a practical norm in canon 5 (ED 9, 64ss). Not everything is said here: thus, for example, the ecumenical dimension of theological formation in seminaries is treated in the section of clerical formation (cfr. *Nuntia* 8, p. 81, c. 27 § 3; p. 84, c. 36). The last two canons are on ecumenical cooperation: for canon 6, see ED 53, 54, 62, 63 and for canon 7

see ED 33 (cfr. UR 12). One aspect of this cooperation is *communicatio in sacris* treated in the schema *De cultu divino et praesertim de sacramentis* (*Nuntia* 10, pp. 17-18, cc. 17-18, cc. 4 and 5; for mixed marriages in particular, *ibid.*, p. 52, c. 169).

One of the guiding principles of the present revision of Oriental canon law is that the *Codex Iuris Canonici Orientalis* should be ecumenical in character (*Nuntia* 3, p. 20), a demand thrown into relief by the present schema *De Oecumenismo*.

#### Can. 1

*Cum sollicitudo cunctorum christianorum unionis instaurandae ad totam Ecclesiam spectet, omnes christifideles, praesertim vero Pastores, debent pro ea a Domino optata Ecclesiae unitatis plenitudine orare et adlaborare sollerter participando operi oecumenico, Spiritus Sancti gratia favente suscitato.*

#### Can. 2

*Ad Ecclesias Orientales Catholicas peculiare pertinet munus orientalium praesertim christianorum unitatem fovendi, precibus imprimis, vitae exemplis, religiosa erga antiquas traditiones orientales fidelitate, mutua et meliore cognitione, collaboratione ac fraterna rerum animorumque aestimatione.*

#### Can. 3

§ 1. *In Ecclesiis Particularibus, competit Synodo Episcoporum vel Consilio Hierarcharum incepta motus oecumenici intra fines ipsarum Ecclesiarum territorii provehere normisque particularibus datis eum dirigere, moderante ipsum motum Sede Apostolica Romana pro universa Ecclesia.*

§ 2. *Ad hunc finem adsit Commissio peritorum de re oecumenica, constituenta, ubi rerum adjuncta id suadeant, collatis consiliis cum aliis Ecclesiis ejusdem territorii vel nationis vel spatii culturalis.*

§ 3. *Item adsit in unaquaque eparchia vel, ubi id visum fuerit, pro pluribus eparchiis simul sumptis, consilium de motu oecumenico provehendo. In iis autem eparchiis quae proprium consilium habere non possunt, unus saltem adsit delegatus, ab Episcopo designatus.*

#### Can. 4

*In opera oecumenica servanda est debita prudentia ne ipse motus oecumenicus damnum capiat neque fideles ob periculum falsi irenismi vel indifferentismi detrimentum patientur.*

Can. 5

*Quo clarius innotescant christifidelibus verae doctrinae et traditiones tum Ecclesiae Catholicae tum aliarum Ecclesiarum vel Communitatum Ecclesiastium diligenter operam navent praesertim praedicatores verbi Divini, ii qui instrumenta communicationis socialis moderantur atque omnes qui vires impendunt, sive magistri sive moderatores, in scholis catholicis imprimis autem in Institutis superioris educationis catholicae.*

Can. 6

*Curent moderatores scholarum, nosocomiorum ceterorumque similium institutorum quae a catholicis reguntur ut alii christiani ea frequentantes vel ibi degentes a propriis ministris adjumentum spirituale et sacramentale consequi valeant.*

Can. 7

*Optandum est ut catholici, servatis normis de « communicatione in sacris », quodvis negotium in quo cum aliis christianis cooperari possunt, non seorsim sed conjunctim persolvant, cuiusmodi sunt opera caritatis ac socialis justitiae, defensio jurum fundamentalium hominis, promotio pacis, dies commemorationis pro patria, festa nationalia.*

V. *De baptizatis non Catholicis ad plenitudinem communionis catholicae convenientibus*

After a preview of the initial text « De recipiendis in Ecclesiam Acatholicae » (Nuntia 3, pp. 76-79) a pilot group of the *Coetus de Magisterio Ecclesiastico* suggested in March 1979 that the material contained in this chapter had not only to be radically updated in the light of Vatican II but that it had to be recast into three sections: on evangelization, on ecumenism and the present one. The present title has not satisfied everyone especially for its length, but what the CME was most concerned with was precision as found in a phrase of *Orientalium Ecclesiarum* (OE 4). The proposal is for a separate title for the moment, since no satisfactory suggestion was put forward as to a suitable place to insert these canons<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> The CME did not really get time to discuss this issue. One suggestion not fully considered is to bring under one title « *De Ecclesiae unitate fovenda* » as Article I *De Oecumenismo* and as Article II the present canons. Here reference may be made to UR 4: « Patet autem opus praeparationis et reconciliationis eorum singulorum, qui plenam communionem catholicam desiderant, ab oecumenico incepto natura sua distingui; nulla tamen adest oppositio, cum utrumque ex Dei mirabili dispositione procedat ».

—

